



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.


We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

B 859,342



880.3
S95
B53



Suidas
ΣΟΥΪΔΑΣ.

SUIDAE LEXICON

GRAECE ET LATINE.

AD FIDEM OPTIMORUM LIBRORUM EXACTUM

POST

THOMAM GAISFORDUM

RECENSUIT

ET ANNOTATIONE CRITICA INSTRUXIT

GODFREDUS BERNHARDY.

TOMUS PRIOR.

HALIS ET BRUNSVIGAE

SUMPTIBUS SCHWETSCHKIORUM.

(M. BRUNN.)

A. 1853.

SUIDAE LEXICON

GRAECE ET LATINE.

TOMI PRIORIS

PARS PRIOR. (A—E.)

PRÆFATIO

LUDOLPHI KÜSTERI

Habes hic, Lector, **SUIDAE LEXICON**, pertinaci plurium annorum labore a nobis utcunque expolitur et novo quasi habitu indutum, sive textum Graecum, sive versionem Latinam, sive denique Notas et Indices spectes.

Antequam vero quid in nova hac editione a nobis praestitum sit accuratius exponamus, de **Suida** eiusque aetate, itemque de ipso hoc **Lexico** et prioribus eius editionibus breviter agemus.

Quis **Suidas** fuerit aut quando vixerit, frustra quis quaesiverit, si nullus unquam **Suidas** extitit: ut virum politissimum **Angelum Politianum** censuisse plures referunt scriptores, respicientes procul dubio ad haec eius verba, quae leguntur lib. XI. Epist. XX. *Suidas ipse (si qui modo hic unquam Suidas), non omnino malus auctor.* Sed **Suidam** vere extitisse, nec nomen eius fictitium esse, non solum evincunt codices **MSti Lexici** huius, in quibus **Suidae** vel **Sudae** nomen comparet, sed etiam **Eustathius**, qui in verboso commentario in **Homerum Suidam** nostrum aliquoties laudat. Quis autem **Suidas** fuerit, difficile dictu est, cum non solum alii scriptores, sed etiam ipse de se sileat, nec in toto hoc **Lexico** quicquam de se memoriae prodiderit. Videtur quidem in v. *Σαμοθράκη* patriam vel gentem suam indicare, dum ait: *Qui enim initio insulam (i. e. Samothraciam) incoluerunt, Samii fuerunt, a quibus nos orti sumus.* Sed verba illa non sunt ipsius **Suidae**, sed scriptoris anonymi, ex quo locus iste excerptus est.

Quod ad aetatem **Sudae** attinet, de ea diversae sunt virorum doctorum sententiae, quarum nonnullas ad examen revocabimus. **Hugo Grotius** in Epist. CX. ad Gallos **Suidam** paulo post **Constantinum Leonis** filium, qui A. C. 912. imperare coepit, vixisse arbitratur; hac addita ratione, quod, quantum ipse meminerit, hic Imperatorum postremus sit, quem in libro suo nominet. Sed virum doctissimum memoria fefellit. Nam in v. *Ἀδάμ* mentio fit Imperatoris **Ioannis Zimiscae**, et in v. *Κωνσταντινούπολις* **Basilii** et **Constantini** fratrum; qui omnes **Constantino Leonis** filio posteriores fuerunt. **Hieronymus Wolfius** **Suidam** multo recentiore facit, et ad **Seculum XIV.**

refert; hac inductus ratione, quod Metochitam Logothetam citet, qui sub Palaeologis vixerit. Verba eius in Praefat. ad Suidam haec sunt: *Atque adeo, cum Metochitam Logothetam citet, qui sub Palaeologis vixit, apparet eum vix annis abhinc 300. Lexicon hoc composuisse.* Scribebat autem ista Wolfius A. D. 1564. Sed Logotheta, quem Suidas diversis in locis laudat, non est Metochita Logotheta, quem ineunte Sec. XIV. vixisse constat, sed Symeon Metaphrastes Logotheta, qui initio Seculi X. floruit; ut et ante nos observavit vir magni inter eruditos nominis Richardus Bentleius, in praeclara Dissertatione de Phalaridis Epistolis p. 23. Sententia igitur Wolfii hoc subducto tibicine sponte corrui. Alii, inter quos est vir doctissimus Gulielmus Cave, Nostrum vergente iam Seculo X. sub Basilio et Constantino fratribus vixisse censent: pro qua opinione facere videtur, quod Suidas in v. *Ἀδάμ*, ubi diversas annorum aeras sive epochas recenset, chronologiam perducit usque ad obitum Ioannis Zimiscae, cui anno C. 975. modo dicti Basilius et Constantinus fratres in imperio successerunt. Huc accedit quod Noster in v. *Κωνσταντινούπολις*, annos a condita CPlī computans, epocham eorum terminet in regno Basiliī et Constantini Porphyrogenetorum, ut illo tempore, quo ea scribebat, adhuc imperantium. Haec sane speciosa sunt et veram Suidae aetatem indicare videntur. Sed si ex notis illis temporum, quae hodie in Suidae Lexico occurrunt, de aetate eius indicandum est, recentiore eum utique esse oportet: utpote qui exeunte saltem Seculo XI. vel ineunte XII. sub Alexio Comneno vixerit. Nam (quod a nemine adhuc observatum esse video) in v. *Ἰηώρας*, v. *Ἀέρτρου* et v. *Ἠγήτορες* loca quaedam ex Mich. Psello adducuntur, qui sub Alexio Comneno floruit, vitamque usque ad initium Seculi XII. produxit. Si igitur ipse Suidas loca ista Pselli Lexico suo inseruit, post Psellum utique vixisse eum oportet: sed ante Eustathium, quippe qui primus in Commentario ad Homerum Nostri meminit. Vixit autem Eustathius exiguo post Psellum intervallo: sub finem nimirum Seculi duodecimi et initium decimi tertii. Sed quod ad loca illa Pselli attinet, dubium non est quin a recentioribus Lexico Suidae addita sint; idque de loco primo, qui adducitur in v. *Ἰηώρας*, audacter affirmare ausim; quippe quem MSS. Pariss. non agnoscunt. Si igitur nec ex hac nota temporis aetas Suidae colligi potest, quid tandem hac de re statuendum sit, quaeret Lector. Equidem nos ita censemus: incertum quidem esse, quo tempore verus Suidas sive primus Lexici huius auctor vixerit; antiquiorem tamen procul dubio esse, quam vulgo creditur; cum persuasum nobis sit, plurima loca, quae recentiore aetate sapiunt, ab aliis postea Lexico huic addita esse. Patet hoc vel ex MS. Paris. A. qui trium Codicum MStorum Suidae, qui in Bibliotheca Regia Parisiensi asservantur, optimus est et vetustissimus. In eo enim multa loca, quae in recentioribus MStis omnibusque edd. hodiernis reperiuntur, vel omnino desunt vel recentiore interdum manu ad marginem scripta sunt: veluti versus onirocritici, qui ex Astrampsycho vel Nicephoro in Lexicon hoc translati sunt; itemque loca ex Paulo Aegineta excerpta; et alia, de quibus in Notis nostris lectorem monemus.

Quamvis autem Suidam antiquiorem, quam vulgo creditur, statuamus, non tamen cum Lil. Greg. Gyrardo eum adeo antiquum censemus, ut Strabo, quem sub Augusto floruisse constat, eius meminisse potnerit. Existimat nimirum modo laudatus vir doctissimus, Suidam nostrum eundem esse cum Suida vetusto historico, cuius praeter Strabonem Scholiastes Apollonii Rhodii et Stephanus Byzantius mentionem faciunt. Verba eius Dialogo III. *de Historia Poetarum* haec sunt: *Quibus illud vere responderi potest, Suidam antiquum fuisse scriptorem, cuius inprimis a Strabone fit mentio, et ab iis qui in Apollonium Rhodium commentaria scripsere, et a Ste-*

phano, et aliis. Is igitur Suidas inter alia (nam et Historiam scripsit) commentaria, ut par est credere, non admodum magna condidit, quae ab aliis postea multis locupletata et aucta ad hanc quam videmus libri magnitudinem excrevere, primique Suidae nomen obtinere, etc. Et paulo post: Simul etiam abiicendam puto, quam grammatae quidam faciunt, duorum huius nominis distinctionem, ut scilicet ille antiquior tantum sit historicus, hic recentior grammaticus. His verbis duplex continetur sententia, nimirum Lexicon, quod Suidas primus composuerat, ab aliis postea locupletatum et auctum esse; et deinde, Suidam historicum et lexicographum eundem esse. Priorem sententiam probamus; et nobiscum plures alii. At posterior suffragatoribus caret, et Suidas noster communi eruditorum consensu a Suida historico diversus eoque recentior merito statuitur. Et hactenus de aetate Suidae.

Quod ad Lexicon ipsum attinet, id ex variis compilatum est auctoribus, quorum nomina partim Catalogus ille, qui ab ipso Suida Lexico huic praefixus putatur, partim duo nostri Indices posteriores lectori exhibent. Mirabitur autem forsitan Lector, in Indice ultimo sive tertio non comparere Scholiastam Pindari, Theocriti et Apollonii; cum Reinesius *Varr. Lectt.* p. 479. haec de Suida habeat verba: *Suidas Harpocratonem et Scholiastas veteres, maxime Aristophanis, Sophoclis, Thucydidis, Pindari, Theocriti, Apollonii, totos exhausit, et in suum hoc armarium digessit.* Sed incantius ibi vir magnus locutus est. Tantum enim abest ut Suidas tres Scholiastas posteriores totos exhausit et collectanea sua inde locupletaverit, ut vix unum vel alterum locum ex illis excerpserit.

Ceterum ex Scholiastis veteribus nullum Suidas diligentius compilavit quam Scholiasten Aristophanis; quippe quem totum paene in Lexicon suum transfudit. Quaeritur autem inter eruditos, utrum Suidas ab hodierno Scholiaste Aristophanis an vero Scholiastes a Suida sua mutuatus sit: sive, an hodierna Scholia in Aristophanem ex veteri quodam codice ad nos propagata sint, an vero a Musuro vel alio quodam ex Suidae Lexico consarcinata. Nos ita censemus: hodierna Scholia in Aristophanem maximam partem ex veteri quodam codice descripta ad nos pervenisse, eademque esse, ex quibus ipse Suidas sua hausit; non pauca tamen loca a recentioribus partim ex Suida, partim ex aliis scriptoribus illis infulta esse. Et sane quae leguntur apud Scholiasten illum ad *Equitt.* 577. *Ἡ δὲ σιλεγγίς τῶν πρὸς ἄλλο τι* etc. itemque ad *Acharnens.* 519. *Σίχνον ἀπὸ εὐθείας ὁ σίχνος* etc. ex Suida in v. *Σιλεγγίς* et v. *Σίχνον* inserta esse, emunctioris naris lectores facile mecum sentient. Lexicographum enim illa potius sapiunt quam Scholiasten. Eundem porro Scholiasten interpolatum esse ad verba illa Comici in *Pluto* v. 1111. *Ἡ γλῶττα τῶν κίρυντι* etc. itemque ad verba illa in *Vespis* v. 769. *Ἐλλη γὰρ ὄρθρον* etc. patet non solum ex eo, quod illic citetur Eustathius, qui Suida utique recentior est, sed etiam ex eo, quod duo ista loca in antiquissima Editione Aldina desint. Idem dicendum est de alio loco, qui legitur in iisdem Scholiis v. 142. ubi Phalaris laudatur. Nam nec illum vetus Editio Aldina agnoscit. Sed hac de re eruditos iam ante monuit vir in omni doctrinae genere excellens Richardus Bentleyus, in *Dissert. de Phalaridis Epist.* p. 22. Notandum vero est Suidam interdum plura habere quam hodierna Scholia in Aristophanem: unde recte colligi posse videtur Scholia illa non integra ad nos pervenisse. Vide Nostrum v. *Ἀκαλήφτι*, v. *Ἀχόρητος*, v. *Ἐγκεκορδυλημένος*, v. *Μέλλονι-κιᾶν*, v. *Ναξιουργής*, v. *Πυροῦργής*, v. *Σιβυλλιά*, v. *Στρουθός*, v. *Τίθαι*, v. *Τραγικώτερος*, v. *Υπεραχοντίζεις*, etc. Et haec obiter de Scholiaste Aristophanis.

Quod ad modum attinet, quo collectanea haec digesta sunt, in eo non raro iudicium et diligentiam compilatoris desideres. Nam primo Noster, dum loca ex variis scriptoribus decerpta in Lexicon suum congessit, saepe vitiosis codicibus deceptus fuit: unde fit ut voces adulterinas et corruptas pro veris et genuinis lectori interdum obtrudat. Sic Ἀμάστῃς apud eum habes pro Ἀχμαστῆς; Ἡρίθμησεν pro Ἡρέμησεν; Πεπιασμένοις pro Μεμιασμένοις; Τάλειον pro Τέλειον; Ὑστινος pro Ὑγινομος; Κοιλιδιᾶν pro Κυλοιδιᾶν; Φρήμας pro Δι' ἐρήμας; Δείξαντες pro Διήξαντες; Ἀλίβυες pro Οἱ Αἰβυες; Ἡμιμαλλόνες pro Αἰ μιμαλλόνες; Θεσμοτόκον pro Ἐσμοτόκον; Ἡβὸς pro Ὑβὸς; Ἀνάρπαστοι pro Ἀνοργιάστοι; Δάφατο pro Ὀλόφατο; Ἀωτὺς pro Ἐδητὺς; Εὐχείμονος pro Λευχείμονος; Παιόλη pro Ἀπαιόλη; Παιόλημα pro Ἀπαιόλημα; Ὀζωτὰ pro Ὀξωτὰ; Ὑσήνηρος pro Οἰσυνήρος; Φόωντα pro Ἀφώωντα; Φυλοκρινεῖ pro Φιλοκρινεῖ; et alia. Interdum vero lectio Suidae melior est ea, quam nostri codices hodie exhibent. Exempli gratia apud Aristophanem *Thesmophor.* 841. hodie legitur, — Τηνίοισι καὶ Σκίροις: ubi codex Suidae pro Τηνίοισι olim habuit Στηνίοισι, quam lectionem veram esse probamus in notis ad v. Στήνια. Coniectura enim Biseti, qui Θεσειοισι illic reponendum censebat, merito explodenda est. Apud eundem Comicum in *Thesmophor.* 205. versus hic legitur:

Τὰς συμφορὰς γὰρ οὐχὶ τοῖς στενάσμασι.

Vox ultima illic corrupta est: cuius loco Suidas in serie sua recte habet τεχνάσμασι. In fabula *Ecclesiazusis* versus hic occurrit:

Ἡ γραῦς ἀνεστηκυῖα παρὰ τῶν νεκρῶν.

Metrum manifeste claudicat; quod ex Suida in v. Πλειόνων sic in integrum restitues:

Ἡ γραῦς ἀνεστηκυῖα παρὰ τῶν πλειόνων.

Scholium enim locum genuinae vocis apud comicum hodie male occupavit. In fabula *Thesmophoriaz.* 521. inter alia et haec leguntur:

Λέων, λέων σοι γέγονεν, αὐτ' εἶγμα σόν.

Magnus Scaliger cum videret versui huic modulum non constare, eum sic rescribendum censebat,

Λέων, λέων σοι γέγονεν, αὐτ' εἶγμα σόν.

Sed frustra. Ex Suida enim in v. Λέων pro εἶγμα reponendum esse ἔκμαγμα in notis ad illum locum probamus. Anthologiae lib. III. cap. 14. pag. 343. Epigramma in Protesilaum legitur, cuius pars est hexameter iste:

Λένδρεα δυσμίμητα, καὶ ἦν ποτε τεῖχος ἴδωσι.

Hic δυσμίμητα sensui manifesto adversatur: cuius loco Brodaeus reponendum censebat δυσμήμητα, et Obsopoens δυσμείλικτα. Sed uterque a scopo aberravit. Ex Suida enim in v. Δυσμίσσητος reponendum esse δυσμίσσητα in notis ad locum illum monemus. Apud Iosephum lib. I. *de Bello Iud.* cap. 13. pag. 739. inter alia et haec leguntur: Καὶ πᾶσα οἰκία ὀπλιτῶν ἐπιᾶτο. Vox ultima illic in mendo cubat: cuius loco ex Suida v. Νένακτο rescribendum esse νένακτο sensus manifesto suadet. Plura huius generis exempla studiosus lector ex notis nostris colligere poterit. Nos enim haec speciminis loco tantum proposuimus.

Porro observandum est, Suidam res hominum cognominum perpetua serie interdum recitare et ad unum caput referre solere: quo fit ut quae ad diversos pertinent uni tribui videantur, et in historiis turbentur omnia, nisi narrationes distinguas, et diligenter animadvertas, ad quos quaeque eclogae referendae sint. Exempla habes in v. *Εὐμένης*, v. *Ἡρώων*, v. *Σεβήρος*, et alibi.

Interdum vero (quod minus est peccatum) grammaticus noster res hominum prorsus diversorum et ne nomen quidem commune habentium miscet, eclogasque historicas ad alienum prorsus caput refert: cuius ἀβλεψίας pauca exempla in medium hic producam. In v. *Μαξιμίῳ* ea quae leguntur ab initio usque ad verba illa, ἐπιβουλὰς ὑποπιεύων, de Imperatore Maximino Thrace intelligenda sunt; quae vero deinceps absque ulla nota distinctionis subiiciuntur ad Galerium Maximianum pertinent: ut patet ex Euseb. *Hist. Eccles.* lib. III. cap. 14 et 16. In v. *Ἀλυάττης* verba illa priora, *Λυδῶν βασιλεὺς — ἀδελφὴν ἤσχυεν*, apud Nicol. Damascenum in *Collectaneis Constantini* a Valesio editis pag. 453. unde locus iste depromptus est, de Sadyatte patre Alyattis dicuntur; quae proinde Noster male ad Alyattem refert. In v. *Νίλων* grammaticus noster supina negligentia ad Niconem refert, quae apud Pansaniam lib. VI. pag. 364. unde totus iste locus excerptus est, de Theagene Thasio narratur. In v. *Εὐνομιανός* Suidas Eunomianum quendam a Bellisario e sacro baptismi fonte susceptum fuisse narrat. Locus scriptoris, qui ibi adducitur, sumptus est ex Procopii *Hist. Arc.* cap. 1. sed ubi de Theodosio quodam Eunomianis parentibus nato, non autem homine aliquo *Eunomianus* appellato verba fiunt. Gothofredus in *Prolegom.* ad Philostorgium pag. 2. ex loco hoc Suidae Eunomianum aliquem sibi confinxit, qui nullus extitit: ut in notis nostris ad v. *Εὐνομιανός* pluribus docemus. In v. *Πῶρος* verba illa, *Τοῦτον ἤρετο περὶ διαίτης ὁ Ἀπολλώνιος*, etc. excerpta sunt ex Philostrati lib. II. *de Vit. Apoll.* cap. 11. sed quae Suidas pessime ad Porum refert, cum apud Philostratum de Phraorte Indorum rege dicantur. Plura exempla brevitatis gratia adducere supersedeo.

Est et alius Lexici huius naevus, qui in eo consistit, quod sexcentis in locis exempla, quae ex scriptoribus veteribus adducuntur, a capite articuli aliena sint, nec quicquam faciant ad probandam significationem vocis propositae. Sed istius rei culpam non tam in Suidam confero, quam in eos qui varia auctorum loca Lexico huic vel ipsi adsuerunt, vel ea quae ad marginem scripta erant absque iudicio et delectu in textum receperunt. Multa enim esse apud Suidam loca, quae ex margine in textum irrepererint, et imperitiam librariorum manifesto prodant, nemo nisi plane in Lexico hoc hospes negabit. Videat saltem lector quae notavimus ad v. *Ἀγροιάτης*, v. *Ἀναθεῖναι*, v. *Ἀριστογείτων*, *Κυδ.*, v. *Ἐλλειν*, v. *Νάννος*, v. *Ἰπνομαχῶ*.

Quamvis autem et alii sint Lexici huius naevi, partim ipsi Suidae, partim librariis et recentioribus compilatoribus tribuendi, est tamen liber longe utilissimus, et quem thesaurum omnigenaeque eruditionis penu cum incomparabili Reinesio merito appellaveris. Vel sola historia poetarum, oratorum, historicorum etc. quae in eo continetur, auro contra cara est, et qua sine irreparabili damno republ. litteraria carere non possit. Taceo tot et tam praeclara fragmenta veterum scriptorum, hodie amissorum, quae in lexico hoc nobis conservantur, et pretium ei non parvum conciliant.

Prodierunt autem haec Collectanea Suidae primo Mediolani, A. C. 1499. Graece tantum: in qua editione nonnulla loca desunt, quae in reliquis editis reperiuntur. Eam secuta est editio Veneta, sive Aldina, A. 1514. et ea Graeca tantum. Haec nonnunquam a Mediolanensi discrepat: unde ex alio codice MS. eam expressam esse apparet. Deinde Suidas editus est Basileae apud Frobenium, A. 1544. itidem Graece tantum. Haec editio haud fere ab Aldina discrepat, nisi ubi vel sphalmata typographica habet vel ab editoribus Basileensibus interpolata est. Eodem anno Hieronymus Wolfius Suidam (omissis notis mere grammaticis et fragmentis brevioribus) Latine a se versus absque textu Graeco Basileae edidit. Haec versio Suidae, ab ipso Wolfio recognita, postea recusa est Basileae A. 1581. Mirum autem non est Wolfio rem minus feliciter successisse, cum nullis codicibus MStis instructus textum Suidae, ut tunc erat, corruptum in versione sua secutus sit. Tandem Aemilius Portus, Francisci filius, Graecae linguae in Academia Heidelbergensi quondam professor, Suidam cum nova versione Latina, seu potius paraphrasi, et notis edidit Genevae, A. 1619. Haec editio quoniam omnium earum, quae nostram praecesserunt, novissima est, quodnam de ea nostrum sit iudicium, paulo fusius lectori exponemus.

Dicimus igitur Portum non eam, quam par erat, diligentiam in editione sua Suidae adhibuisse, nec idoneo satis instructum apparatu operi isti manum admovisse. Non solum enim cum nullis codicibus MStis Suidam contulit (qua in re tamen contingere potuit, ut fortuna votis eius non responderet), sed ne omnes quidem editiones tunc extantes inter se comparavit. Ex tribus enim quae tunc prodierant editionibus Mediolanensem (quae omnium prima est et nonnullis in locis emendatior reliquis) nunquam inspexit: quae causa est quare non paucos errores typographicos editionis Aldinae, in editionem Basileensem, quam *κατὰ πόδα* secutus est, postea transfusus, imprudenter in textum receperit, cosque tanquam variantes codicum MStorum lectiones magno molimine interdum emendare conetur. Adhaec cum totum fere Suidae Lexicon ex fragmentis variorum auctorum, quorum maior pars hodie adhuc extat, compositum sit, Portus exiguam plane in investigandis auctoribus, ex quibus Suidas sua sumpsit, diligentiam adhibuit: unde mirum non est sexcentis in locis Lexici huius, quae non nisi ex auctoribus suis illustrari et emendari possunt, aquam ei haesisse. Praeterea (quae maior est negligentia) ne ipsum quidem Suidam secum contulit; cum saepe contingat ut eadem *ῥήσεις* bis vel ter apud eum occurrant, hic corruptae forsitan et mutilae, alibi vero sanae et integrae: ut proinde Suidas ex ipso Suida non raro emendari et illustrari possit. Hoc cum non observaverit Portus (observare autem debuit), saepe fit ut, quae uno in loco recte interpretatus fuerat, alibi vitiosam lectionem secutus suique prorsus immemor pessime vertat et a scopo longe aberret. Ne autem haec in virum, cuius conatus saltem de re litteraria bene merendi laudandus est, immerito a me dici quisquam putet, allatis quibusdam exemplis rem probare et omnem calumniandi suspensionem a me amovere conabor.

Dixi Portum editionem Mediolanensem nunquam inspexisse: quod ex sequentibus manifestum fiet. In v. *Ἀβαρις* editiones Aldina et Basileensis habent *χρησμούς τοὺς καλουμένους Σκυθίνους*, quam lectionem Portus secutus est: cum in editione Mediolanensi rectius legatur *Σκυθιχούς*. In eadem voce pro *ἀφάνισαν* MSti et ed. Med. recte exhibent *ἠφάνισαν*, ad quem locum Portus: *Ἀφάνισαν*] *Aldinus codex ἠφάνισαν*. *Utrumque vitiosum. Scribendum enim ἠφάνισαν, ab ἀφανίζω*. Recte quidem mones Porte: sed quid opus fuit manifesta menda typographica editionis Basileensis in textum recipere et inutilibus observatiunculis Suidam onerare? In v. *Ἀρουραία*

priores editt. (si Mediolanensem excipias) habent, ὅτι ἡ ἄρουρα πόδας ἔχειν, quod Portus vertit, *Rus pedes habere dicitur*; addita nota solita *N. L.* i. e. *Non liquet*. Si editionem Mediolanensem consulisset, non diu ei de emendatione huius loci laborandum fuisset. In ea enim recte legitur, ὅτι ἡ ἄρουρα πόδας ἔχει ν': i. e. *Arura* (quae est certa agri mensura ita dicta) *pedes habet quinquaginta*: quam lectionem non solum confirmant MSti, sed etiam ipse Suidas alio loco, nimirum in ν. *Στάδιον*, ubi idem locus repetitur. In ν. *Γηγενεῖς* in omnibus editionibus praecedentibus, si Mediolanensem excipias, ante *Φυσήματι* desideratur vox *γηγενεῖ*, sine qua loci illius sensus omnino est obscurus et mutilus. Haec ratio est quare Portus falso existimaverit, verba illa *φυσήματι· ἀντὶ τοῦ μεγάλῳ* et quae sequuntur non pertinere ad ν. *Γηγενεῖς*, sed alibi esse collocanda. Aliter certe sensisset, si inspecta editione Mediolanensi locum hunc unius vocis adiectione suppleri et sanari posse intellexisset: id quod etiam ex alio loco Suidae in ν. *Σεισμός*, ubi eadem ῥῆσις repetitur, discere poterat. Post ν. *Ἐπήβολος* in editione Basileensi et Porti legitur, *Ἐπηβολώτατος, προσοικειότατος*: ubi nemo non videt vocem posteriorem esse *παρακεκομμένην*, et nullo modo *ἐκ παραλλήλου* respondere posse voci *Ἐπηβολώτατος*. Rectius igitur in edit. Mediol. cui etiam suffragantur MSti, sic legitur: *Ἐπηβολώτατος. — Ἐπηγάγετο. προσωκειώσατο. ἰδιοποιήσατο*. Nusquam hic comparet vox adulterina *προσοικειότατος*, quam certum est ex voce *προσωκειώσατο* esse corruptam et e genuina sede sua, quae est post *Ἐπηγάγετο*, motam alienum locum in editione Basileensi et Porti hodie occupare. In ν. *Εἰρύσατο* editiones Aldina et Basileensis mendose exhibent *ἐπικούφου*, quam lectionem secutus est Portus: qui si editionem Mediolanensem consulisset, in qua recte legitur *Ἐπικούρου*, vidisset utique *ἐπικούφου* esse sphalma typographicum, et proinde in textum minime recipi debuisset. In ν. *Ομηρος* pag. 301. Edit. Genev. pro *ἀφίκετο εἰς γάμον* (quod Portus bona fide vertit, *Venit ad nuptias*) reponendum est *ἀφίκετο εἰς Σάμον*, i. e. *venit in Samum*; ut in MStis et editione Mediolanensi recte legitur. Possem plura huius generis exempla in medium afferre: sed cum ex hisce lectori abunde patere arbitrer, Portam edit. Mediolanensem nunquam consuluisse, ad alia pergo.

Dixi secundo Portum exiguam diligentiam in investigandis auctoribus, unde Suidas sua sumpsit, adhibuisse: quod omnibus editionem eius inspicientibus per se manifestum est. Si enim Aristophanem eiusque Scholiasten, Anthologiam Epigrammatum editam, Sophoclem eiusque Scholiasten, Herodotum, Thucydidem et paucos alios excipias, de reliquis scriptoribus, ex quibus Lexicon hoc compilatum est, Portus ne somniavit quidem. Ceterum quantam in hac editione lucem Suidae ex diligenti fragmentorum cum ipsis auctoribus, ex quibus sumpta sunt, collatione attulerimus, ex notis nostris lectori patere poterit.

Dixi porro Portum ne ipsum quidem Suidam secum contulisse; quod itidem exemplis quibusdam in medium allatis probabo.

In ν. *Διεκιδώνισε* priores editt. habent, *διεπείρασε καὶ ἐξηπάτησεν*: quod Portus vertit, *tentavit, exploravit, periculum fecit. Item, decepit*. Sed pro *ἐξηπάτησε* scribendum esse *ἐξήτιασε* non solum res ipsa docet, sed etiam Suidas alio loco, nimirum in ν. *Κεκιδωνισμένος*, ubi in omnibus editionibus expresse legitur, *καὶ διακιδωνίσει, τὸ ἐξετάσαι*.

In ν. *Θέμιν* Portus frustra sese torquet, dum non animadvertit, pro *βούλετα* vel, ut editt. Mediol. et Aldina habent, *βούλεται* reponendum esse *Βούχετα*, ut non solum in MStis, sed etiam

alibi apud Suidam in ν . Βούχεται recte legitur. Locum Suidae, ut in editt. Basil. et Genev. legitur, et versionem Porti subiungam, ut lector in rem praesentem quasi deducatur. Θέμιν (inquit Suidas). δικαιοσύνην. Βούλετα. πόλις ἐστὶ τῆς Ἠπείρου, οὐδετέρως καὶ πληθυντικῶς λεγομένη· ἦν φησι Φιλόχορος ὠνομάσθαι διὰ τὸ τὴν Θέμιν ἐπὶ βοῶς ὄχουμένην ἐλθεῖν ἐκεῖ, κατὰ τὸν Δευκαλίωνος κατακλυσμόν. Portus haec ita vertit: Θέμιν, *Themis*. Hoc nomen iustitiam significare vult [i. e. significat. Unde compositum Θεμίσκυρα, *Themiscyra*. Haec autem] urbs est Epiri, quae per neutrum genus et pluraliter effertur: quam Philochorus ait sic appellatam, quod *Themis* vecta bove illuc iverit, tempore diluviū Deucalionis. Nugas agit Portus, dum lectori persuadere conatur, Suidam hic de Themiscyra urbe loqui: quod est ab eius mente alienissimum. Neque saniora sunt, quae in notis affert; in quibus locum hunc sic emendare et supplere conatur: Θέμιν. δικαιοσύνην.] Haec ita fortasse legenda: Θέμιν, δικαιοσύνην βούλεται σημαίνειν. ὅθεν Θεμίσκυρα. πόλις δ' ἐστὶ τῆς Ἠπείρου. Consule *geographos* in Θεμίσκυρα. Sed Βούλετα urbem apud nullos reperio. Omnia haec sunt prorsus ἀπροσδιόνυσα, neque veram istius loci emendationem vel per somnium Portus vidit. Quam facile autem has tenebras discutere potuisset, si consulisset Suidam in ν . Βούχεται, ubi recte sic legitur: Βούχεται. πόλις ἐστὶ τῆς Ἠπείρου, οὐδετέρως καὶ πολλαχῶς (lege πληθυντικῶς, ut in ν . Θέμιν) λεγομένη· ἦν φησι Φιλόχορος ὠνομάσθαι διὰ τὸ τὴν Θέμιν ἐπὶ βοῶς ὄχουμένην ἐλθεῖν ἐκεῖ etc. Quam clara hic omnia! Dicit Suidas Bucheta esse urbem Epiri, sic dictam, quod *Themis* ἐπὶ βοῶς ὄχουμένη, bove vecta, illuc venisset: quam etymologiam voci Θεμίσκυρα minime convenire nemo est adeo hebes quin facile intelligat.

Post ν . Ταγήν. ὄν. ὄρν. in prioribus editt. mendose legitur, Ταγήν ὁ κνισσοθήρας. ὁ Ἰούνιος ἦν. Ad quem locum Portus: *Tagen*. ὁ κνισσοθήρας. *Cnissotheras*. q. d. *nidoris venator*. *Iunius mensis*. Legendum videtur ὁ Ἰούνιος μὴν. Sed N. L. Apage nugas istas. Ex ipso Suida in ν . Φαγεῖν ζῶν constat legendum esse ταγνηοκνισσοθήρας; quae est vox comica, eleganter significans lurconem vel parasitum (proprie eum qui sartaginis nidorem captat), qualis erat Iunius iste, quem Portus ridicule in Iunium mensem transformat. Eadem vox in ν . Ἰούνιος, sed alio modo ante depravata erat. Ibi enim in editt. prioribus legitur ταγνηορνιθοθήρας, in MSS. vero ταγνηοκνιγοθήρας: unde unius litterae mutatione facta veram lectionem ταγνηοκνισσοθήρας facile crueris.

In ν . Τῷ νῦν λόγῳ pulchrā sententia Polybii (cuius nomen ibi quidem a Suida reticetur, sed alio loco, quem mox iudicabo laudatur) pessime corrupta et mendo non leviter obscurata est. Quid enim sibi volunt verba ista, ἡτύχηκεν ὡς κεκληρονόμηκε τοιαύτην φήμη; Portus ea sic interpretatus est, *Infelix fuit, postquam talem famam iure hereditario consecutus est*. Quam longe a scopo et mente Polybii? Ex MStis et ipso Suida in ν . Τύχη patet legendum esse, ἡ τύχη κενῶς κεκληρονόμηκε τοιαύτην φήμη: quorum verborum sensus est, inane esse fortunae nomen, et omnia quae vulgus ei tribuat, divinae providentiae re vera adscribenda esse.

In ν . Καρῖνος hodie legitur: Γενόμενος ἐν ἐξουσίᾳ καὶ βουλήσεως κύριος ἀνέδραμε τηλικούτον κακὸν ἐς τυραννίδα· οὕτω καὶ τοῦνομα τοῖς ἔργοις μακροῦ παρήλθε etc. Quem locum non solum omnes editt. sed ipsi etiam MSti sic mutilatum exhibent: cuius proinde supplendi spes nulla esset (praesertim cum Eunapii historia, unde locum illum depromptum esse ex ν . Μακροῦ apparet,

non amplius extet), nisi Suidas ipse hic sibi opem ferret. Ex eo enim in v. *Μακροῦ* constat locum hanc sic supplendum esse: *ἀνδραμὲν τηλικούτον κακὸν ἐς τυραννίδα, ὥστε ἀπέδειξε χρυσὸν τὴν τραγωδομένην τυραννίδα. οὕτω καὶ τοῦνομα* etc. Quorum verborum sensus est: Carinum tam malam et saevum fuisse principem, ut veterum tyrannorum saevitia, cum eius tyrannide collata, aurum quasi videretur. Elegans proverbium et frequens apud Graecos scriptores: quo etiam idem Eunapius in Excerptis Legationum ab Hoeschelio editis p. 13. usus est. Ibi enim de Thracia agens eam a Scythis tam foede devastatam esse ait, *ὥστε χρυσὸν ἀποδειχθῆναι πρὸς τὰ Θράκια πάθη τὴν Μυσοῦν παροιμιώδη λείαν*: i. e. *Ut vetus illa Mysorum praedatio proverbio celebrata, cum hac Thraciae vastatione collata, aurum esse videretur.* Sic enim locus hic reddendus est, quem Cantoclarus ita vertit, ut sensum eius minime intellexisse appareat.

In v. *Λευκῆ ἡμέρα* refertur mos Scytharum, calculum album vel nigrum, prout rem ex animi sententia vel secus gessissent, antequam quieti se darent, in pharetram condendi, ut post illorum mortem ex numero calculorum de prospera vel adversa fortuna, qua in vita usi fuissent, iudicari posset. Sed in prioribus editt. ante *μέλλοντας* desideratur vox *Σκύθας*, quae totius sententiae cardo est. Eam proinde loco illi restituendam esse, etiamsi codices MSti non docerent, clare tamen ostenderet Suidas in v. *Τῶν εἰς τὴν φαρέτραν*, ubi de eodem Scytharum more agens expresse inquit, *φασὶ τοὺς Σκύθας μέλλοντας καθεύδειν* etc.

In v. *Ἐχέμυθος* Suidas inquit: *Εἰς τε συναύξησιν ἀρετῆς καὶ κακίας μείωσιν ὅλην ἐξεκέχυτο τὴν ψυχὴν.* Id est, *Omne suum studium ad augendam virtutem et imminuenda vitia conferebat.* Sed pro *κακίας μείωσιν* in prioribus editt. ridicule legitur *κωμωδίας μείωσιν*: quod Portus, fidus interpres, *comoediae imminutionem* vertit. Sana quam dixi lectio apud Suidam alibi tribus diversis in locis occurrit, nimirum in v. *Ἰδιώτης*, v. *Μεῖον* et v. *Ὅλην ἐξεκέχυτο*: quod tamen a Porto observatum non fuerat.

In v. *Ἡρεῖτο* pro *ἔσιτοποιεῖτο* legendum est *οἶτον ἡρεῖτο*: ut in v. *Βιτέλλιος*, ubi idem locus extat. Portus cum hoc non observaret, existimabat loco isti aliquid deesse; qua de re lectorem hisce verbis monere voluit. *N. L. Desideratur enim verbum ἡρεῖτο, cuius causa haec videntur allata.* Sed nihil deerit, si ut diximus scribatur, *οἶτον ἡρεῖτο*. Non me quidem latet in Excerptis Ioannis Antiocheni ab Henr. Valesio editis, unde locus iste depromptus est, legi *ἔσιτοποιεῖτο*: sed utra lectio praestet, nunc non disputo. Illud saltem constat ex mente Suidae, qui *ῥῆσιν* istam sub voce *Ἡρεῖτο* collocavit, legendum esse *οἶτον ἡρεῖτο*.

Ex hisce paucis (sunt autem alia eius generis quamplurima) manifestum est, operae pretium facturum fuisse Portum, si *ῥήσεις* easdem, quae apud Suidam diversis in locis repetuntur, diligentius inter se contulisset.

Quae autem hactenus dicta sunt, ostendunt Portum non eam quam par erat diligentiam in adornanda Suidae editione adhibuisse. Sunt autem alia haud sane leviora nec pauciora, in quibus eruditionem quoque et iudicium eius merito desideres. Hoc ut lectori manifestum fiat, pauca loca ex multis, in quibus nec accurati interpretis nec acuti critici partes implevit, in medium adducam.

In v. *Λυκόφρων* Suidas ait, *διασκευὴ δ' ἐκ τούτων ἐστὶν ὁ Ναύπλιος*: quorum verborum sensus est, fabulam *Nauplius*, cum recto talo prius non stetisset, a Lycophrone ad incudem revocatam et denuo in scena exhibitam fuisse. *Διασκευὰς* enim sive *διασκευασμένα δράματα* appellatas fuisse fabulas, a poetis nova lima perpolititas et postea in scena repetitas, accurate ostendit magnus Casaubonus ad Athen. lib. III. cap. 26. quem lector consulat. Hinc ergo apparet, quam parum intellexerit Portus sensum verborum illorum, quae sic Latine reddidit: *Ex his vero diasceue, sive historica narratio, est Nauplius.*

In v. *Ἔωθός* Suidas ait: *Ἔωθός. χωρὶς τοῦ ι. Ἀρχιππος. καὶ Ἀραρῶς ἔωθας. καὶ Θουκυδίδης ἐώθεσαν.* Quem locum Portus sic vertit: *Ἔωθός. Sine i. Solitum, consuetum. Archippus. Et aptatus consuevisti.* Male omnino. Vox enim *Ἀραρῶς* hic non significat *aptatus*, sed est nomen proprium poetae, apud quem Suidas dicit, *ἔωθας* absque *ι* legi pro *ἔωθας*, uti *ἔωθός* apud Archippum pro *εἰωθός* et apud Thucydidem *ἐώθεσαν* pro *εἰώθεσαν* reperiatur. De poeta autem Araro Suidas non solum suo loco agit, sed etiam fabulam eiusdem *Ἰμέναιος* laudat in v. *Ἀναθεῖναι*, cui loco imperitus aliquis homo, quem itidem fugiebat *Ἀραρῶς* ibi nomen proprium viri esse, notam hanc omnino ἀπροσδιόνυσον addidit: *Ὅτι ἀραρῶς ἐπιζήμημα, ἀντὶ τοῦ προπόντως· ἀραρῶς δὲ ἀρμόσας.* Ceterum errorem priori similem Portus commisit in v. *Γηώρας*, ubi *πελλοῦ* vertit, *balbi vel blaesi*; cum ibi sit nomen proprium viri et Michaëlem Psellum designet.

In v. *Νοθεύει* Portus verba haec Suidae, *ἐν τῇ τοῦ μακαρίτου Λογοθέτου Μεταφράσει*, reddit, *In interpretatione beati Historici.* At quis non videt in versione retinendum fuisse nomen *Logothetae*, cum manifestum sit citari illic *Μετάρρασιν* certi alicuius scriptoris, ab officio quo functus fuerat *Logothetes* dicti. Eundem errorem erravit Portus in v. *Ἀβαξι*, v. *Ἀλκαία*, v. *Ἀναίμονες*, v. *Καταπέλιτης*, v. *Ἰπαγορεῦσαι*: in quibus omnibus locis *Λογοθέτης Historicus* vel *Historiae Scriptor* interpretatur. In sola voce *Ἐξαπάτη* cautior fuisse videtur, ubi nomen *Logothetae* in versione retinuit. Sed hoc non tam certa ratione quam casu potius ab eo factum fuisse crediderim.

In v. *Ἀυτόλυκος* priores editt. Suidae habent *ἐν τοῖς Χαρωνικοῖς*: quem locum Portus de locis Charonicis sive speluncis pestiferis intelligendum censebat. Sed non animadvertit rescribendum ibi esse *ἐν τοῖς Χαιρωνικοῖς*, i. e. *tempore belli Chaeronensis*: quae mutatio levis quidem est, sed immanem in sensu differentiam parit.

In v. *Σοφοκλῆς, Σοφ.* Suidas inquit, *Καὶ αὐτὸς ἤρξε τοῦ δράμα πρὸς δράμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ στρατολογίαν.* Quae verba Portus sic vertit: *Primus etiam ipse tragicas inter se fabularum contentiones instituit: sed non delectum militum.* Quae ἀβλεψία! Adeo nimirum obesae naris criticus fuit Portus, ut non animadverteret pro *στρατολογίαν* legendum esse *τετραλογίαν*, et Suidam hic loqui de notissimo more tragicorum apud Graecos, qui *τετραλογία* sive quaternis fabulis in scena certare solebant. Ab isto ergo more ante recepto Sophoclem tragicum primum recessisse et non quaternis sed singulis fabulæ certasse Suidas hoc loco observat.

In v. *Τίς τῆδε* Suidas ex Scholiaste Aristophanis refert eos, qui olim diis libaturi essent, ad astantes dixisse, *Quis adest?* Eos deinde linguis faventes respondisse, *Multi et boni.* Suidae verba haec sunt: *Εἶτα οἱ παρόντες εὐφημιζόμενοι ἔλεγον, πολλοὶ καγαθοί*: quae Portus sic vertit:

Deinde qui aderant sese laudantes dicebant, multique bonique. En peritum interpretem, qui *εὐφημιζόμενοι* interpretatur, *sese laudantes*; cum vertendum esse, *linguis faventes*, vel *bona verba dicentes*, vix tirones ignorent. Notissimum enim est veteres existimasse religionem violari, si, quo tempore sacra peragebantur, verba male ominata proferrentur: unde eos qui aderant vel tacere omnino, vel, si loqui quicquam vellent, bona verba (ut aiebant) dicere oportebat. Utrumque apud Latinos continetur significatione phrasos *linguis favere*; cui apud Graecos *εὐφημεῖν* vel *εὐφημιζέσθαι* respondet.

Alibi Portus vocem *εὐφημία* non minori errore *beneficentia* interpretatur. Suidae verba in v. *Εὐφημία* haec sunt: *Εὐφημίας χάριν προτιμᾷ τὴν Λακεδαιμόνα τὸ θεῖον, ἥπερ τῶν Ἀθηναίων βωμοῦς σύμπαντας καὶ νεῶς* etc. Portus hunc locum sic Latine vertit: *Beneficentiam enim Lacedaemoniam Deus pluris facit, quam universas Atheniensium aras et templa.* Scopum non ferit interpres. Ex iis enim quae de voce *εὐφημεῖν* et *εὐφημιζέσθαι* paulo ante diximus liquet, *εὐφημία* proprie *faventiam*, ut Accii verbo utar, sive silentium religiosum vel bona verba significare. Sensus ergo illius loci est, Deo magis placere Lacedaemoniorum pietatem et animum religiosum, cuius index et argumentum sit ipsorum *εὐφημία*, quam universas Atheniensium aras et templa.

Plura de editione Porti eiusque naevis non addam, cum haec sufficere putem. Venio tandem ad nostram; in qua quid a nobis praestitum sit, paucis lectorem docebimus. Primo textum Graecum cum tribus codicibus MStis Bibliothecae Regiae Parisiensis contulimus; quorum unus (quem in notis nostris MStum A. appellare solemus) optimus est, et quingentorum saltem annorum vetustatem habet. Huius praecipue codicis ope ingentem mendorum numerum ex Suida sustulimus, et non paucas lacunas in eodem supplevimus; ut ex notis nostris lectori patere poterit. Alter est MS. B. cum priore nec vetustate nec bonitate comparandus: unde pauciores emendationes nobis suggestit. Tertius est MS. C. secundo deterior: qui proinde admodum exiguo nobis usui fuit. Praeterea usi sumus variantibus lectionibus MSti Vaticani, quas illustriss. Pearsonius, magnus ille Episcopus Cestriensis, ad marginem Suidae sui annotaverat. Sunt eae pauciores quidem, sed interdum bonae, et quae plerumque auctoritate MSti Paris. A. confirmantur. Adhaec specimina quaedam variantium lectionum opera amicorum nacti sumus ex codice MS. Colbertino (qui est in Bibliotheca Colbertina Lutetiae Parisiorum), ex codice Vossiano, qui nunc est Lugduni Batavorum, et Antwerpiano Iesuitarum. Sed omnibus istis codicibus praestat antedictus MS. Paris. A. quo meliorem vix in Europa nostra extare puto.

Porro versionem Latinam Porti infinitis in locis emendavimus, resecta ubique inutili qua luxuriabat paraphrasi. Ultimam tamen limam propter temporis angustiam ei adhibere non potuimus. Unde, si quos forte errores vel reliquimus vel ipsi commisimus, eos aequus lector nobis facile condonabit, reputans, quam difficile sit et lubricum moliri versionem fragmentorum, quorum sensus obscurus plerumque est et mutilus.

In notis nostris brevitati, quantum fieri potuit, studuimus, idque operam praecipue dedimus, ut Suidam partim ex MStis, partim ex scriptoribus, ex quibus fragmenta sumpta sunt, et partim ex ingenio emendaremus. Transtulimus autem in notas nostras ea, quae Illustriss. Pearsonius, magnum illud orbis litterati decus, ad marginem Suidae sui, qui hic Cantabrigiae in Bibliotheca

Collegii Trinitatis adservatur, annotaverat: addito ubique eius nomine. Perlegerat vir ille magnus Suidam magna cum cura, eumque cum variis auctoribus diligenter contulerat: unde observationes eius magno nobis usui fuerunt.

Ex notis Aemilii Porti ea excerptimus, quae ad rem facere et alicuius momenti nobis esse videbantur. Sunt enim annotationes eius leviores plerumque et tironibus tantum aptae; quibus proinde Suidam onerare noluimus.

Habes instituti nostri rationem, benevole lector. Illud, antequam Praefationem hanc finiam, paucis addam: me per quadriennium et eo amplius in celeberrima hac Academia Cantabrigiensi vixisse, in qua omnium ea fuit erga me humanitas et comitas, ut nusquam maiorem me expertum esse fatear.

Ingratus sane essem, nisi id publice omnibus testatum facerem, et simul profiterer in magna me felicitatis parte ponere, tot viris eruditione, pietate et virtute insignibus hic in Anglia innotuisse. Faxit Deus O. M. ut virtus et eruditio tum hic, tum alibi magis magisque crescant; praesertim hoc tempore, quo ob licentiam seculi in deterius ruentis religio et pietas, ne labefactentur, validis columinibus et illustribus morum exemplis indigent.

PRÆFATIO

EDITORIS OXONIENSIS.

Quam de Suida lexicique ab eo conditi natura ac pretio nihil amplius certiusve proferre possim quam quod ab aliis, quorum praefationes ante hanc meam excudeudas curavi, abunde disputatum est, restat solum ut de huius editionis consilio, et de subsidiis quibus usus sim, breviter agam. Küsterus scilicet, iisdem fere, quos mihi versare contigit, codicibus manuscriptis usus, eorum lectiones prae nimia, ni fallor, festinatione negligenter admodum excerpsit, totamque rem ita administravit, ut editio eius, etsi multis ornata dotibus quibus ceterae carent, tamen propter eam quam modo commemoravi incuriam criticae paene inutilis a viris doctis perhibeatur. Huic igitur malo, quantum potui, mederi studui. Primum operam dedi, ne qua varietas lectionis, quam praebent optimi codices, haereat diutius in ambiguo; editionis Mediolanensis ubique rationem habui; ceteras, Aldinam scilicet, Basileensem et Portinam minus diligenter excussi; Porti emendationes, quas Küsterus haud raro tanquam suas tacite adoptat, plerumque indicavi, plures huiusmodi fortasse commemoraturus, si Portus eas paullo distinctius imprimendas curavisset: fallunt enim saepe numero oculos lectoris versioni Latinae interpositae.

Nec minus officium editoris putavi fontes unde hauserit Suidas diligenter persequi atque indagare. Et quanquam huic negotio multum operae impenderim, nullus dubito quin largam praetermissorum messem a posteris colligendam reliquerim. E Küsteri annotationibus nonnulla, sed parce, sustuli: v. g. Epigrammata, quae is ex mendoso codice Anthologiae protulerat, Palatino exemplari iam diligentissime typis vulgato, vix opus erat repetere: nec dubitavi numeros paginarum, capitum et versuum, quos is ex editionibus scriptorum veterum hodie vel non facile reperiendis vel usu minus commodis citaverat, ad recentiores magisque parabiles aptare. Neo pauca huiusmodi tamen, ut reppereram, manere sustinui. Postremo duos de integro indices confeci. Quorum prior exhibet omnes glossas secundum litterarum seriem digestas, ideo inprimis necessarius, quia Suidas usitatorem litterarum ordinem respuit, et multa vocabula locis non suis exponit. Huic indici inserui vocabula haud pauca notatu digniora sive in grammaticorum interpretamentis, sive in veterum scriptorum exemplis obvia; nomina item propria hominum. Alter auctores a Suida citatos complectitur, quorum fortasse nonnulli per incuriam in priorem irreperierint.

INDEX SUBSIDIORUM.

- A.** Duo codices mss. Bibliothecae Regiae Parisiensis nn. 2625. 2626. Prius volumen, chartaceum, nec una manu exaratum, continet litteras *A—Θ*, et quanquam vetustatis nota caret, auctoritatem tamen prae se fert non exiguam, utpote ex optimo exemplari descriptum. Alterum volumen, litteras *K—Ψ* complectens, membranaceum est, cuius magna pars saeculo XIII tribuenda videtur. Haec duo volumina simul sumpta exemplar conficiunt omnium quotquot nobis innotuerunt praestantissimum, etsi nonnunquam hiat, glossisque aliquot haud dubie genuinis destituitur, quas agnoscunt codices alii. Notandum porro ubicunque Aldina editio a Mediolanensi discedit, eam varietatem fere semper in hoc codice reperiri.
- B.** Codex ms. Bibliothecae Regiae Parisiensis n. 2622. bombycinus, formae maximae.
- C.** Codex ms. Bibliothecae Collegii Corporis Christi Oxonii, chartaceus, duobus voluminibus formae maximae.
- D.** Codex ms. Bibliothecae Bodleianae, chartaceus, duobus voluminibus formae quartanae.
- E.** Codex ms. Bibliothecae Regiae Bruxellensis, olim Iesuitarum Antverpiensium, chartaceus, in folio minori. Huius codicis fini haec nota appingitur: *Θεοῦ τὸ δῶρον καὶ πόνος Ἰωάννου. ἐτελειώθη ἐν ἔτει ᾠϞϞϞ ἐν κορώνῃ.* Hoc codice usus est A. Schottus in Adagiis Graecis Antverp. 1612. 4^o.
- F.** Florentinus, Bibliothecae Mediceae Plut. LV. Cod. I. [Inscriptus codex, *Βιβλίον λέξεων Σοῦδα συνταχθὲν παρὰ διαφόρων σοφῶν ἀνδρῶν.* Initium, *Ἄ ἃ παρὰ Ἀριστοφάνει ἐπίρημα μετὰ ἐκπλήξεως.* Desinit in litteram *Ψ*. Scripsit eum Mantuae a. 1422. Petrus Cretensis.]
- G.** }
H. } Codices 2623. 2624. Bibliothecae Regiae Parisiensis, uterque chartaceus.
- V.** Codex chartaceus, formae maximae, olim Henrici Stephani, nunc inter Vossianos Bibliothecae Academicae Leidensis servatus, optimae notae, initio, medio et fine mutilus.
- M.** Editio Mediolanensis.

Horum codicum A. E. totos ipse excussi, V. inde a littera E, in prioribus litteris collatione ab Oudendorpio facta usus sum. In B. conferendo vicaria Theodori Sypsomii opera adiutus sum. Quod ad C. attinet, cum eum codicem, priorum litterarum commissione instituta, ita cum V. consentire deprehendissem, ut utrumque ex eodem archetypo derivari satis intelligerem, nisi quod longiores fere omnes articuli a C. exulant, nolui inutilem laborem exantlare codicem integrum pervolvendi, itaque post quattuor priores litteras iis tantum in locis eum usurpavi, ubi V. hiat. D. locis tantum suspectis consului. Ex F. glossas nonnullas speciminis gratia a me rogatus excerpserit Petrus Elmsleius. Ex G.H. litteram P cum editione Küsteri contulit Sypsomus.

His copiis iam accedat varietas lectionis ad oram editionis Basiliensis 1544. apposita manu Friderici Sylburgii, quae nunc custoditur in Bibliotheca publica Bernensi. Huius libri non infrequens mentio est in annotationibus Iungermanni ad Pollucem. Describendi curam rogata meo peramice in se suscepit I. A. Cramerus, Aulae Novi Hospitii Principalis.

*Lectiones ex margine ed. Basil. 1544. cuius principio adscriptum,
Fuit Fr. Sylburgii, hodie Bongarsii.*)*

Hemsterhusii et Valckenaerii notulas ineditas ex autographis hodie Leidae adservatis descripsi: Wassii pauculas ex margine exemplaris Küsteriani nunc in Bibl. Coll. Aenei Nasi repositi: Bastii et Toupü exemplaria in tabulario Delegatorum Typographi Academici custodita diligenter tractavi; ex Burneianis in Museo Britannico hodie reperiendis ea meam in gratiam excerpit amicus, quae mihi utilia fore opinatus est. Nonnulla etiam subministravit Frid. Creuzerus, veluti Haloandri observationes ex margine ed. Med., Nokkii observationes criticas infra legendas, et quod maioris momenti est, collationem codicis Harpocratonis Palatini a Frommelio confectam.

Porsoni exemplar, postquam magna operis pars excusa est, usibus meis concesserunt Collegii Trin. Cant. Magister et Socii; Pearsonianum (vide Küsteri praef. extr.) perlubenter commodaturi, si modo is liber hodie Cantabrigiae extaret, quod, proh! dolor, longe secus est. Quod si quis aliquando hunc librum invenerit, et cum excerptis Küsterianis conferri curaverit, affirmare ausim cum pretium operae facturum.

Taylori Appendicem (cuius mentio apud Bruggemannum *View of the English editt.* p. 448.) neque unquam ipse vidi, neque qui viderit, multum licet sciscitatus, reperire potui.

*) Quas Gaisfordus varias lectiones in quinque grandibus paginis et dimidia descripsit, eas nefas erat iterum inculcari. Harum enim nulla sive coniectura sive lectio codicis vera aut memorabilis est, quin suis locis et auctoribus idoneis manitam annotatio critica prodat. Decerpit autem Fr. Sylburgius codicem hodie Vossianum sive Leidensem, tum Henrici Stephani, familiaris sui: nam ad hunc librum redeunt, ut paucis utar speciminibus, varr. lectt. sub vv. Ἐπιτολήσαι, Σιρόφιον, Στόγαξ, Τουτάκι, Τραχέια et, quae scriptura potest instar reliquarum esse, v. Ἰούνιος, ubi cod. V. accessio ἀπειροκαλίε — παίσω extat cum ipsa lectione δς ἐνεμε. Sed rarius quam pro expectatione codex affertur: ut facile suspiceris eum identidem pro re nata consultum fuisse. Ceterum quod Iungermannum in Polluce non infrequenter exempli Sylburgiani meminisse Gaisfordus tradit, equidem observationes illius percurrens rarius id factum video, ut in Poll. IV, 101. „Et sic diligentissimus virorum Sylburgius apud Suidam, ubi est ἰδισμα, λόγισμα, in suo codice adacripit, ἰγδισμα, λόγισμα.“ Et haec quidem in Sylburgianis Gaisfordi desiderantur.

PRÆFATIO

EDITORIS HALENSIS.

Novam Suidae recognitionem viginti abhinc annis Schwetschkii bibliopolae inchoarunt, quorum uterque iam suo fato defunctus est. Hi cum usu diuturno cognovissent exempla modico pretio parabilia (Küsteriana enim quae prae ceteris expetebantur, triginta amplius imperialibus distrahi solebant) dudum votis multorum desiderari, cumque saepenumero arbitros harum rerum intelligentissimos audirent, cum dicerent post tanta studiorum Graecorum incrementa laborem Küsteri vix nostro saeculo sufficere: librarii solertissimi facile sibi persuaserunt longe pleniorum et emendatiorum Suidam instrui posse, qui bona editoris novissimi cum selectis observationibus et coniecturis recentioris aetatis coniungeret neque censum philologorum, praesertim popularium excederet. Constat enim Suidam a Küstero recensum paucis obtigisse, quorum satis lauta res esset; haud ita paucos autem lexicographo prorsus caruisse, nisi forte mediocres Porti copias sibi compararent; eaque causa fuit cur ad haec usque tempora tot viri docti, qui Hesychium, Pollucem ac reliquam grammaticorum suppellectilem assidue tererent et suis in scriniis numerarent, raro cum Suida consuetudinem aliquam inierint eiusque rationes interiores habeant perspectas, sed necessitate compulsi singulas fere glossas in usum vocaverint. Quo minus admirari libet eorum iniquitatem et iudicia contemptus plena, quibus scriptor ex longinquo visus olim obruebatur. Sed revertor ad Schwetschkios. Tandem illi consilia sua ad me detulerunt, rogantes ut negotium totum susciperem et ex ipsorum utilitatibus novum opus adornarem. Ego vero tum vacuus eram, neque invitus, fateor, in patulum orbem lectionis et collecticiae doctrinae me conici patiebar, in quo non modo scholam artis criticae uberrimam sed Graecam etiam antiquitatem latissime patentem liceret peragere. Porro spem non vanam fovebam, intra paucos annos compendiarium Suidae repetitionem absolvi posse. Ceterum venia debuit errori quantumvis magno concedi, si quis tum temporis operam in illius emendatione vel interpretatione ponendam facilem fore speraret ac sola studii constantia muneri sese suffecturum auguraretur. Etenim nemo potuit difficultatem universi laboris ex vero suspicari ac ne divinando quidem ad eos gradus interpolationis et pravae scripturae pervenire, quos hodie cuivis ostentant collationes optimorum duorum codicum. Proinde nulla sollicitudine deterritus ad tantum conatum accessi, quem neque fama scriptoris nec luculentae condiciones (lautis enim praemiis aegre Sosii Halenses invitabant), sed sola litteras Graecas iuvandi voluntas et fiducia rei bene gerendae commendarent.

Primum igitur ut opes a Küstero relictas supplerem, critica subsidia circumspexi, nec poenituit dissitos philologorum angulos perreptare, quantum per librorum penuriam licuit. Sed laboranti tum prae ceteris succurrit liberalis eximii senis Fr. Iacobsii benevolentia. Comparavi principes editiones Mediolanensem et Aldinam, quarum priorem Küsterus festinanter inspexerat, alteram ignorabat; idemque Zonaram, Eudociam, alia grammaticorum Graecorum praesidia, nostris illa temporibus partim evulgata, cum singulis glossis contendere coepi. Deinde non solum libros virorum doctorum illustrando corrigendove Suidae destinatos, quorum principatum tenent labores Toupiani, decerpebam, sed diversissimos etiam commentarios et quicquid libellorum per tria saecula consumptum est in emendandis explicandisque scriptoribus Graecis pervagabar, quo plenior apparatus conficeretur. Porro praeter expectationem feliciter contigit, ut ab insigni humanitate Augusti Seidleri, qui nuper in otio beato decessit, collationem egregii codicis Leidensis impetrarem, marginibus Küsterianae ab Iacobo Gronovio commissam. Dudum autem inter nostrates praestantia libri Leidensis erat celebrata, postquam huius copiis liberalitas Seidleri studia criticorum adiaverat: ut Iacobsii, curis novissimis Anthologiam Palatinam (v. Praef. A. Pal. T. III. p. XIII.) recensentis, et Hermanni, cum Sophoclem edebat. Itaque Küsterianum exemplum cum ille comiter Halas transmisisset, iuveni litterarum antiquarum studiosissimo I. H. Knochio, qui de memoria Babrii poetae bene meruit, negotium iniunximus, ut integram annotationem Gronovii describeret. Is partes mandatas haud vulgari pertinacia laboris implevit molestissimi, cuius tedium miris modis auxerat manus Gronovii pessime litteras pingentis; accedebat etiam summa distractio variarum lectionum, quas homo parum elegans stilum currentem secutus per transversum dissipavit. Adeo saeculum illud, cum vix uno tractu totos codices auderet perlustrare, prorsus incuriosam erat concinnitatis et artis ad usum accommodatae. Tandem praeparatis et in unum collectis quae pro spicilegio Küsterianae haberi possent, lentis gradibus operae Halenses inter multa impedimenta sub a. 1833. fasciculum primum excudebant. Nam etsi crebri rumores ad nos attulerant amplissimam in Britannis recensionem parari, nihil tamen comperti quisquam potuit nunciare.

Vixdum ad plagulam duodecimam perventum erat, cum grandia duo volumina Gaisfordi necopinantibus prodeunt ac Suidam omnibus numeris absolutam ostentant. Simul aspexi et admirandus dubitavi, quas partes operis magnifici laude vel invidia digniores reputarem. Omnes enim eximio concentu tam inter se colligatae sunt mutuamque sibi lucem affundunt, ut ars Britannica doctrinam ornet, doctrina ditissimum apparatus nunquam destituat, et monumentum assidui laboris dotibus externis commendetur. Itaque non modo tum cum recens exemplar oculis usurpabam, sed saepius inter tot sordes opificii Halensis, dum splendorem chartae luculentae, nitorem formarum, elegantiam et aequabilem concinnitatem Oxoniensis typographiae contendo, felicitatem editoris agnovi, qui subsidiis eruditionis et artium venustarum affluens honestum studiorum fructum animique oblectamentum perceperit. Nostris autem redemptoribus cum Gaisfordi Suidas esset allatus, primum illi vehementer nutabant, nec multum a fuit quin pristinum suum consilium prorsus abiicerent. Nempe quae dudum votis communibus erat expetita, recensio Graeci sermonis e purissimis fontibus ducta iam omnibus patebat; porro qui sententias criticorum et interpretum cupiunt integras singulis sibi locis apponi, his perpetuus commentarius cum ipsis hominum doctorum verbis, quotquot Suidam sumpsissent expoliendum vel solam benefaciendi voluntatem ostendissent, affatim suppetebat. Licuit sane largiorem dapem tot epulonum, quae multa falsa cumulet ac supervacua nullique profutura, breviorum in modum contrahere eamque necessitatibus prudentium lectorum

accommodare, qui paucis contenti sapere sciant; sed verendum erat ne compendiaria brevitatis in epitomae contemptum apud eos adduceretur, qui haustus e magno flumine quovis pacto requirunt. Quodsi novam et uberrimam copiarum Oxoniensium recensionem instituerent, haud immerito dubitabant bibliopolae, num opus in molem nimiam exiturum finem inveniret exoptatum et tantis sumptibus dignum referret praemium. Contra reputabant illi Suidam Gaisfordianum propter grandissimum pretium (prostat enim paene quinquaginta imperialibus) ad ditissimas tantum bibliothecas accessurum esse, lexicon vero paucis visum et in angulis scriniorum publicorum delitescens rarius etiam fore quam post Küsterum id accidisset. Atqui nemo iam poterat per fortuitas quaestiones Suidam adire, quin sciscitaretur quid apud Gaisfordum extaret. Cum autem didicissent apparatus ibi congestum posse multis partibus in angustius cogi, resectis quae nihil ad scriptorem facerent aut hanc litterarum lucem reformidarent, Schwetschkii perseverarunt neque minus iam obsequentem hortantur, ut mutatis consiliis Suidam reciperem uberius instruendum. Ego vero diu reluctatus ut illorum votis obtemperarem, tandem permovit non modo studium in lexicographo collocatum, quem intellexeram copius Gaisfordi retractandis ad aliquem perfectionis gradum evehi posse, sed confidentior etiam spes fore ut opera neque insuperabilis existeret et ultra solitum diuturna, nec taedium afferret tanta quaestionum varietas aut otium concessum exhaustiret. Nam etsi nolim eorum celeritatem imitari, qui scriptores difficillimos currente stilo perstringunt, libris ducibus orationem emendant, silentibus autem transvolant et annotationis paratae delectum non magno molimine faciunt, vitam tamen in monumentis antiquis ad amussim perpoliendis exinanire nimium esse videbatur ac prope perversum. Sed expectatione citius sensi laborem a me susceptum fuisse improbum et ut ingenue dicam omnium stultissimum. Id ne quis acerbius pronunciatum incuset, equidem laborem intentissimum reprehendo, qui quamvis largam doctrinae materiam expromat et ad severissimam disciplinae legem ac rationem astringat, adeoque interiori quasi scholam philologiae patefaciat, utique tam sit ferreus, ut meliorem vitae partem absumat neque iacturam virium annorumque potuerit ullo fructu resarcire. Non enim habet laetum pabulum aut gratum temperamentum ingenii reficiendis ista perpetuitas et necessitas curarum aequalis, quam alternis vicibus argumenta dissimillima sibi poscunt, cum glossas sacras et profanas strictim mutamus atque grammaticam, historias litterarum Graecarum, antiquitates veterum populorum, denique farraginem multiplicis eruditionis cogimus peragrare. Quid autem conquerar tot bonas horas frustra consumptas, quoties aut emendari testis Suidae vetus aut locus incerti scriptoris investigari suoque fonti debuit vindicari? neque vero singulis in locis studium irritum fuisse volumus ambitiose iactare, sed quisquis in societatem similis operae venit, ei silentium nostrum argutum sufficere speramus. Iam quo longius processimus, eo magis incredibile taedium me debilitavit, quod ex aliis et aliis libris continenter evolvendis inter seque comparandis, ut pauculae quaedam scripturae varietates ac dissensiones eruorentur, per singulos lexi versus devorandum fuit. Ah quoties tum in mentem venit distichi Scaligerani (*lexica contexat: nam cetera quid moror? omnes poenarum facies hic labor unus habet*) vel Wyttenbachii, cui cum per gratas vices liceret commentarios suos in Plutarchum, Eunapium, alios suaviter exornare, deinde senectutis et temporum incommoda causatus ille multas in studiis doctis magnasque partes corporis esse vociferatur, *volutari in bibliotheca* (inquit), *librorum sedes nosse, eos inde promere, in pulpitis exponere, evolvere, excerpere; quae plena sunt sudoris, et prorsus illud Hesiodeum subiiciant τῆς δ' ἀρετῆς ἰδρωῖτα* —. Quapropter nemo mirabitur quod paulo lentius, praesertim inter diversas occupationes et moras munerum academicorum, opus illud frigidum promoverim; sed ipsa necessitas impulit ut solatia mali tentarem et intervalla laboris

aerumnosi iucundioribus argumentis, quae fessum animum alerent et recrearent, potissimum vero historia litterarum Graecarum, distinguerem.

Iam postquam statum totius negotii post Gaisfordum suscepti declaravimus, summis lineis primarias eius partes licebit monstrare. Paucis igitur rationes criticas et emendationis subsidia, legem annotationis, Latinam interpretationem et indices adiunctos perstringam.

Apparatum Gaisfordi criticum, perpaucis exceptis, universum recepi. Sed multis in locis aliter eum conformavi, longeque saepius in brevitatem coegissem, nisi lectoribus hoc in genere molliter habitis fuisset parcendum. Nam Gaisfordus aut omnes enumerare codices solet, ubi demptis vanis nominibus soli A. V. sufficere debent, aut unum et alterum apponit, tanquam reliqui vulgatam tenerent, ubi hanc sive Küsteri negligentiam par fuit simpliciter annotari. Porro Mediolanensem saepius omisit comparare, contra memorat Aldinam in iis etiam lectionibus, quas cum illa habet communes. Eam ob causam ubique principem respexi, rarius Aldinam attuli, si quando novas et auctiores prodit glossas vel Gaisfordus per silentiam in oratione Graeca novaverat. Etenim vir ceteroqui diligentissimus neque glossas ab se restitutas, a Küstero praetermissas, constanter indicat, neque glossulas centenas, praesertim syntactici generis, lectorem monet ex A. illatas esse; idemque haud semel ordinem aut glossarum aut verborum tacite mutavit. Nos igitur spicilegium criticum inviti suscepimus, ut auctoritates glossarum totiusque scripturae quantum licuit consignarentur. Sed nihil antiquius habui quam ut orationem Suidae, resectis hominum studiosorum fraudibus, param et castigatam ex fide testium incorruptorum exhiberem. Volueram quidem solam exemplarium potissimum formam cum ipsis erroribus reddere, neque correctiones certas vel probabiles, quotquot ex aliis fontibus ingeniove criticorum repertas Gaisfordus in contextu locavit, tolerare. Iusto licentius enim recensiones quas vocamus diplomaticae sublati vetustatis mendis contaminantur, ut honori scriptoris et commodis lectorum prospiciatur. Mox tamen rem intellexi maioris fore melimnis, satiusque duxi meam operam angustioribus terminis continere. Quo severius in excludendis vel circumscribendis glossis spuris et additamentis insitivis versari licuit. Pauca quidem de hoc genere sustulerat Küsterus, qui libros suos nonnunquam inspexit; longe maximam autem partem Gaisfordus, sed parum constanter ille glossas eiusdem fabricae iisdemque libris damnatas nunc exterminat nunc solis cancellis includit. Accessit quod originem earum ex aliis glossis ducendam passim non detexit aut omisit scrutari. Ego vero hanc legem in operis progressu secutus sum, ut optimorum duorum codicum nutu, saltem A. praeeunte, partes suspectas expungerem, contra notare uncis, quae quamvis ex ipso Suida collecta vel interpolatione nata cum altertro tamen MS. non satis tuto perspexissem ablegari. Velut satis multas glossas syntacticae disciplinae, quas cum ex A. plerumque Gaisfordus introduxisset, serius adulterinas esse mihi constitit, invitus reliqui. Hac igitur condicione rei criticae cognita minus iam, opinor, Lobeckius (Patholog. serm. Gr. prolegg. p. 21.) novissimis Suidae editoribus succensebit, quod *permulta quae a codd. nonnullis absunt parum salubri consilio in angulos annotationum relegarunt, ubi nimis facile delitescunt*. Nempe fabri fabrilia tractant; ac plurimum eorum qui thesauros Graeci sermonis nunc ex limpida fontibus nunc e rivulis turbatis eliciunt, interest nosse, quibus saeculis et auctoritatibus preventus linguae luxuriosissimae debeat. Nec quicquam observatione dignum fugere poterit, sive sursum sive typis minoribus infra positum legitur, cum nemo Suidam posthac sine annotatione queat emetiri.

Longe molestior et perplexior illa criticae pars fuit, quae cernitur in diiudicandis eligendis-que codicum lectionibus diversissimis. Nam tanta scripturae varietas omissis additis amplificatis vocibus et membris, ut in opere quibusvis possessoribus exposito, Suidam pervasit et dissipavit, vix ut istas dissensiones speres in concordiam redigi posse. Sed pretium subsidiorum nostrorum subtiliter aestimatum has turbas compescet; nec debet quisquam mirari, postquam summam rei perfecimus, in opere vastissimo hodieque locos superesse controversos, in quibus autet iudicium et neutram in partem aequa lance deprimatur, scilicet quod tertii codicis quasi libramentum desideramus. Momentum enim in scriptura constituenda sane quattuor habent codices et princeps Mediolanensis; sed propius intuentibus certo constat ex sola duorum librorum auctoritate sincerum Suidae sermonem pendere. Nam E. nemo non perspicit interpolatum et ab homine non illitterato ex ipsis recentissimis poetarum codicibus esse relictum; huic vero qui simillimus est B. saepe cum optimis libris conspirat, saepius deteriora sequitur, nec facile singularem praebet scripturam, quin ab A. V. ea commendetur vel plane reiiciatur. Gaisfordus tamen utrique frequenter fidem habet. His inferioris ordinis MSS. collata Mediolanensis nihil quod proprium sit aut insperatum affert; neque magnam ea nacta fuisset existimationem, si Küsterus fideliter libros suos repraesentasset ac receptam orationem intactam sivisset. Contra Parisinus A. et Leidensis tam manifestas ostendunt bonitatis et altioris originis notas, tantoque consensu nunc verba reddunt castigata, nunc mutilas partes explent, ulcera vero depravatissima quaeque nullo fucō reliquerunt illita, his ducibus ut criticus et debeat et possit cum eventus prosperi fiducia Suidam emendare. Iam etsi praestantiam utriusque vel mediocriter Graece doctus agnoscat, accedit tamen etiam incorrupta vox ipsius antiquitatis, qua luculentior suffragatio fingi non potuit: quicquid enim veterum ac proborum codicum in iis scriptorum fontiumve locis extat, unde Suidas profecerat, eximie cum nostris A. V. consentit. Ceterum longe praestat alteri Parisinus A. qui non modo princeps huius lexicographi liber est, sed inter reliquorum etiam grammaticorum optimos excellit. Huic igitur cum omnium integerrimam et purissimam scripturam ubique servet, libenter obtemperavi, nec facile sprevi, sicubi tot inter dubitationes et suspectas dicendi formulas res fide testium magis quam liquidis rationibus ageretur.

Proinde salvum et bene curatum foret negotium criticum, si codicis utriusque lectiones, id est, instrumentum rei gerendae necessarium, plenas teneremus et accurate notatas. Nunc praeter expectationem cecidit. Nam A. plerumque diligenter collatus est, nec tamen totus nostram in notitiam venit; Leidensis autem V. quam incerta fide sit perlustratus, collatio Gronoviana (* V.) demonstrat mirifice cum Gaisfordo dissentiens. Dudum igitur optaveram ut huius et Parisini meis oculis usurpandi potestas fieret. Frustra: norunt in Germania qui duris munerum et horarum necessitatibus sunt astricti, quam non cuivis homini contingat Corintham adire. Tandem singularis Eichhornii humanitas, qui tum institutioni publicae per Borussiae regendae praecerat, utriusque voti compotem me fecit. Is enim et opportunitatem itineris Parisini largitus est et intercessione sua Leidensis copiam, quem Leidae paulisper morans intellexeram nec parvo temporis spatio nec satis fructuose illic tractari posse, ab curatoribus academiae Lugdunobatavae impetravit, qui Geelio favente codicem per aliquot menses utendum Halas dimiserunt. Iam librum A. in tantum cognovi, quantum paucis hebdomadibus Bibliothecam Parisinam exploranti licuit, sed ut mihi persuaderem operae pretium esse facturum, si quis iteratam collationem susciperet; interim Gaisfordi varias lectiones in litteris Y et Φ usque ad gl. Φῶμεν (* A.) supplevi. Plura de V. repor-

tavi, quem per otia trium mensium inde ab v. Ἰεροβριθῆς T. II. p. 1329. contali, praetereaquo non exiguam partem, cuius delectum Addendis inserui, hactenus persecutus sum, ut universam libri condicionem perspectam haberem. Itaque dimidium fere huius volumen profliganti constitit Gaisfordi notationes multis nominibus diligentius esse factas ac pleniores, nec tamen spernendum auctarium Gronovio deberi; novam autem operam in eo minime ponendam esse. Ceterum plurima iam extra controversiam adducta sunt, ut neutrius codicis auctoritatem requiramus: velut glossae grammaticae sive syntacticae, quarum centenae e marginibus immigrarunt, turba glossarum sacrarum haud exigua, magnus proverbiorum numerus sine dubitatione possunt excludi. Omnino sic existimandum est, hodie Suidam ad eam maturitatis gradum pervenisse, ut ingenio magis quam subsidiis codicum adiuvetur. .

Annotationis qualis inter ipsa laboris initia prodierit, quem finem quo apparatu spectaverit, undecim priores plagulae satis demonstrant. Nudam et pressam ego narrationem, remoto lectionis et eruditionis fuce, volueram extare, sic ut lectores ex opibus compendiariis nihil discerent nisi quod ad fidem et intelligentiam glossarum faceret. Sed abiiciendum fuit saluberrimum simplicitatis et parcimoniae consilium, postquam Gaisfordus integros omnium commentarios, quotquot de Suida coniecturas vel verba fecissent, duobus voluminibus exprompserat. Is non modo Porti memoriam renovavit et Küsterum, passim tamen mutatum, produxit, sed Bosium etiam, qui parum eleganter exilem tradit doctrinam, Reinesii farraginem et orationem tumultuariam, Abreschium, alios propagavit intactos; quid quod Toupii longissimas animadversiones, mixtis deverticulis et excursibus in omnem Graecam lectionem effusis, et paginas continuas eadem patientia per totum opus explanat. Quamquam istam copiarum silvam inconditam ferremus, si quae prudenter observata vel subtiliter essent inventa, ea breviter perspicue limata, non prolixius et inter molestas ambages exponerentur. Equidem ut notas variorum ab vetere Batavorum philologia ductas nunquam dilexi, neque industriam in recoquendis eorum commentis, qui pro suis facultatibus et condicione superioris aetatis multa falsa vel inerudita nullorum in usus protulerant, opinor honeste collocatam: ita cum maxime in Suida chartae parcendum et necessitatibus virorum doctorum servandum duxi. Partem igitur inutilis materiae reiecti, partem in brevius contraxi vel sententias nimis verbis distractas paucis narraui, totumque delectum ea mente dispensavi, ut Gaisfordianum corpus nemo posset desiderare. Ceterum Küsteri notulas, a Gaisfordo iam imminutas, quantum licuit servavi, sed resecta refictaque verborum luxurie vel negligentia; Toupianis subtraxi quae nihil ad rem praesentem conferrent quaque proterve dictis aut testimoniorum abundantia displicerent; Reinesius autem quae privatis scriniis condiderat, ut historicas Suidae glossas illustraret, rudi stilo deducta nec secundis curis concinnata, nolui cum ipsius vocibus inculcare, sed satis visum selectas particulas quaeque haberent aliquam novitatis gratiam inde delibare. His meam annotationem adiunxi, subitariam illam et summis lineis adumbratam. Nam cum Suidam non soleant versare tirones et interioris Graecitatis ignari, neque res grammaticas et palaeographiam singulatim explanare nec locos similes accumulare libuit aut in exquisitis doctrinae multiinguae campis exultare. Sed unice quae demonstratione vel novis quaestionibus egeant, ea iure suo annotatio pertractat atque confirmat; inprimis autem fontes auctoritatem pretium glossarum singularum indagat, glossas diversis in locis repetitas invicem comparat et in fractum emendationis vertit, primitivum fundum ab adventiciis et seris accessionibus secernit, locos incertos ad suos auctores revocat, vitia testimoniorum parum animadversa vel latitantia monstrat ac probabiliter persanat, et ut summatim dicam, quid apud Suidam sincerum verum eruditum

sit, quid interpolationibus foedum quidve falsum ac suspectum, diligenter ostendit. Cuius negotii potissimum eam partem, unde huius lexicographi laus et usus pendet luculentissimus, memoriam dico et vitas scriptorum Graecorum, mihi delegi. Nam ut turbatam eam mendisque pravis affectam esse diuturnus usus edocuit, ita gravissimam omnium ac maxime necessariam habendam etiam inter eos constitit, qui de Suida minus honorifice sentiunt. Quo severius explorandum putavi, quid e puris vetustatis fontibus fluxisset, quid erroribus Suidae vel librariorum debitum perperam traderetur, ut aut emendationem posceret aut reprehensionem. Itaque tot quaestiones et casus dum animo complector, illud mihi consecutus videor tanquam praemium operae molestissimae, primum ut Suidas plurimis stuporis et incuriae criminibus liberetur, deinde critici cauti ut sibi persuadeant longe plures et difficultates et corruptiones in eo superesse quam adhuc creditum fuerat; nec spicilegium sed messem uberrimam invenient, quibus lampada trado. Ceterum Godofredus Hermannus, quoties in locis obscuris eius sententiam sciscitabar, comiter ut solebat senex egregius et ingeniose suas suspiciones impertiebat, quas religiose commemoravi. Alias, numero quidem pauciores quam lectorum interfuit, familiaris noster Augustus Meinekius nobis indicavit, quas *Addendis* inserui. Tandem ipsa diuturnitas operis, quod non uno tenore continuari potuit, numerum attulit satis molestum rerum omissarum vel ex libris nuperis colligendarum; huc accesserunt corrigenda, nec mirum ex annis compluribus meliorem frugem provenisse, cum dies diem ut aiunt doceat atque confutet. Omnino siquas in aerumnas perpetui laboris, in hanc Suidae molem cadit poetae dictum: *Verum operi longo fas est obrepere somnum*. Hinc etiam in externa conformatione fluxerant multa minus aequabilia, praesertim in prioribus fasciculis, qui morem Küsterianum subinde retinuerunt*); donec longior usus ad constantiam quandam et maturitatem adduxit. Ex istis igitur paralipomenis non operose quaesitis auctarium confeci, quod lectores ut malum in rebus humanis inevitabile perferre debent et inter lectionem suos ad locos accommodabunt. Poteram sane plures virorum doctorum sententias et coniecturas, quarum paucissimas probabam, ex libris olim ac recens editis congregare; placuit tamen modum symbolis collecticiis statuere nostrisque successoribus aliquantum opellae reservare.

Latinam Interpretationem verbo memorasse sufficit. Bibliopolae eam iniunxerant, cum sibi persuasissent tali dote vendibiliorem fore Suidam, quamvis liber suapte natura ponderosus tertiae fere parte grandesceret, atque hanc accessionem instar commendationis, qua careret Gaisfordiana, suo in lucro deputabant. Sordent sane conversiones lexicographorum, ut Pollucis et Apollonii

*) Non alienum videtur, cum per fasciculos Suidae Halensis emissus sit, fastos singulorum indicare; quo facilius intelligatur, quibus subsidiis per temporum vices carere debuerim. Velut Scholiorum in Aristophanem, quorum eximus est usus in centenis Suidae glossis, recensione Dindorfiana non prius uti coepimus, quam cum in ultimis partibus litterarum *E* et *II* versaremur. Prodiit igitur Voluminis I. Fasc. I. anno 1834. II. 1835. III. 1836. IV. 1837. V. 1839. VI. 1840. VII. 1843. Voluminis autem II. Fasc. I. anno 1835. II. 1836. III. IV. 1837. V. 1839. VI. 1840. VII. 1845. VIII. 1847. IX. 1851. quo lexicon est consummatum. Plerique vero fasciculi plagulis alphabetum quod dicunt complebant. Praeterea hoc loco repetendum est monitum Fasciculo I. praefixum:

Meminerint lectores, exemplum Gaisfordianum non prius ad editorem pervenisse, quam operae in plagula duodecima haerent. praetermissorum igitur recensio cum aliis supplementis olim in *Addendis* extabit; rationes autem critici negotii summatim editoris praefatio monstrabit. Interim de significato notarum per universum opus sparsarum haec observentur. *A. Parisinum* esse principem eundemque Küsteri optimum, item *Parisinos B.* (hunc quidem a Küsteriano cognomini diversum) *G. H. Oxonienses* autem *C. D. Bruxellensem E. Florentinum F. Leidensem V.* et **V.* quidem e Gronoviana collatione; *Med.* tam ad principem *Mediolanensem* pertinere quam ad *Aldinam*, nisi forte huius scriptura diserte memoratur; *vulg.* lectionem dici Küsterianam, *vulg. edd.* huius et Gaisfordi consensum.

Sophistae, quos nemo nisi Graece sciens adeat, tantosque progressus iam adulta philologia fecit, ut Latini sequestres non facile Graecis scriptoribus adiungantur. Fatendum tamen Suidam per diversas quaestionum opportunitates non ab uno hominum litteratorum genere posci, qui tuto duce praesertim historicam materiam velint peragrare; porro locos ex antiquis auctoribus desumptos saepe tam mutilos et obscuros esse, vix ut subactus criticus exitum inveniatur; denique mira rerum varietas ea brevitate sermonis et insolentia laborat, ut paucis magistris oratio Graeca multorum saeculorum testis nullam obiiciat difficultatem. Cum igitur redemptores Suidam Latine versum remittere nollent, invitus quidem condicionem irrevocabilem accepi, sed meliorem in partem verti: quippe quae mediocrem utilitatem et vicariam commentariorum operam praestaret, in locis autem corruptis, ubi certam medelam neque licuit parare neque in Graecis reponere, sensum pateretur identidem significari. Hoc tamen propositum non sine taedio magnaue iactura temporis explavi. Quae enim Aemilii Porti ferebatur conversio, Küsteri curis passim relictæ, sic eam esse comparatam vidi, ut plerumque novam sufficere debuerim. Portus quam imperitus et obtusus fuerit interpres, Küsterus sub finem suae praefationis ostendit, ubi decessoris errores paene ritu ludimagistri exagitat; qui quae specimina decerpserit, eorum unum ex v. *Σοφοκλῆς* petitum instar omnium esto*). Sed praeter tot peccata molestissima fuit verbositas interpretationis, quae solet in paraphrasin et puerilem profluentiam excrescere; siquidem Portus more sui temporis in Suidae glossis lexicon Graeci sermonis eiusque varios significatus, quos intra uncas inculcat, tironibus voluerat explanare. Küsterus autem etsi menda tarpissima sustulit, leviter tamen hoc editoris munere perfunctus est et colorem totius interpretationis servavit, neque falsam correxit sententiam, ubi veram e scriptoribus a Suida laudatis, modo libros Graecos inspexisset, promptum erat exhibere; quamquam longioribus fragmentis Valesii saltem elegantissimam orationem e Peirescianis excerptis adhibuit. Nos industriam perseveranter huc intendimus, ut Suidas presse, fideliter, perspicue versus extaret.

Novissimam operis laboriosissimi partem Indices implere debuerunt, quam partem reliquis minus arduam fore speraveram. Nimirum Küsterus inchoaverat, Gaisfordus autem materiam ab illo praeparatam sic perfecisse videbatur, ut Tomus eius tertius (hoc enim Indices et Addenda continentur) doctorum indoctorumque necessitatibus sufficere posset. Qua fiducia motus nihil supplendis indicibus collegeram, tam luculentum scilicet instrumentum ratus levissime mutatum transferri posse. Verum in ipsa calce totius opificii spes nos fefellit. Küsterus enim tres subiecerat indices: primum *rerum*, secundum *auctorum a Suida laudatorum*, tertium *locorum investigatorum, quae absque nomine auctoris in Suidae lexico citantur*. Horum primum Gaisfordus repetiit, nos multis partibus immutatum et auctum retinimus, ne quis quereretur subsidium olim magni habitum sibi subtractum esse. Tertius autem index a Küstero laudabiliter institutus debuit cum secundo conflari; sed neuter aut plenus est aut sic dispositus, ut scriptorum versus libri capita cum singulis glossis, in quibus eorum manifesta vel tacita extet memoria, coniungantur et in oculos incidant. Immo Küsterus sub nomine *Ἀριστοφάνης*, ut hoc utar, glossas stipavit omnes, a quibus titulus absit fabulae, sub *Βατράχων* autem et reliquarum praescriptiones nudas, nulla versuum

*) Haud temere Küsterus in v. *Ἠλέτωρ* (ubi prodigium extat interpretationis): *Sed tam boni stomachi fuit Portus, ut omnia concoqueret, et vix ulla lectio tam foeda esset et spurca, quae ei nauseam movere posset. Adde Reinesii V. L. III, 7. Iam quo simplicitatis ille praesertim in deformandis nominibus propriis evaserit, Küsterus si libet in omnium conspectu posuit sub vv. Ἐχέτος, Ἰστορήσαι, Ὑπερήραν, Φυμοί, alibi. Ceterum hic novam versionem contendit sese substituisse, donec in v. Διονύσιος fessus resignaret, T. I. p. 598.*

distinctione, glossas eas coegit, quae nominatim edant fabulam. Talis autem iadex neminem iuvare queat, nisi quis otio circumfluat. Gaisfordus vero post indicem rerum novum collocavit eumque spatiosissimum, *indicem glossarum*; quem ut supervacuum propter eas rationes, quas in Commentatt. de Suida II, 2. exposui, reiiciendum duxi. Hunc autem excipit tertius, *index scriptorum a Suida citatorum*, qui locos aut cum nominibus aut tacite laudatos in unum ut par fuit contraxit et distinctos pro diversitate librorum et versuum singulatim enumerat, sed praeter morem receptum sedes glossarum paginis exempli Gaisfordiani accommodavit. Itaque nemo his uti potest nisi numeros apud Gaisfordum indaget; modo numeri ne sint vitiiati, quod per typographum saepius accidit. Illud tamen vehementius displicuit, quod editor materiam collectam ipse noluit diligenter explorare relataque suos in ordines dispertiri, deinde quod nullam in homonymis discernendis (ut in *Ἀριστοφάνης, Διονύσιος, Μέγανδρος*) curam posuit ac ne Küsterianum quidem indicem post absolutam operam comparavit. Inde factum ut perturbentur ac distrahantur, quae ad eundem locum erant revocanda (vide vel congeriem perversissimam sub nominibus Philostrati, Iuliani, Synesii, ubi quae in annotatione nunc ad paginas nunc ad orationem quampiam vel epistolam referuntur, tanquam diversa seiunguntur); itemque ut libri et fabulae poetarum confunderentur, velut Iliadis versus cum Odysseae, Sophoclis Oed. R. cum Coloneo (peius etiam Trach. 722. 1325. cum Aiacis et Philoctetae versibus), Iosephi Bellum cum Antiquitatibus permutantur; sed nihil minus expectatum evenit, quam quod hic index auctorum plerumque mancus est ac saepe numero locis iis caret, quos Küsterus congesserat. Ac ne Scripturam Sacram (v. *Γραφή*) longius persequar negligentius habitam, satis est dixisse Timaei, qui sub octo glossis memoratur, quattuor, Symmachi tres, Porphyrii septem locos sileri, quorum sex apud Küsterum extant. His igitur damnis et incommodis serius animadversis infinitum quidem laborem nec libuit nec potui remetiri; quoniam tamen in indicibus Suidae non leve momentum ad iuvanda doctrinae studia situm est, novissimum taedium devorare statui, socio laboris assumpto God. Boehmio, tum scholae Halensis Latinae, hodie Dortmundanae praeceptore, qui fidem et diligentiam accuratissimam hoc etiam in genere mihi probavit. Tot symbolis adiutus materiam auctam et suppletam tutius curis secundis digerere coepi. Prae ceteris autem indicem auctorum expolivimus omnium usibus accommodatum et multis accessionibus locupletatum; plenissimum tamen et integerrimum minime spondemus. Index rerum supra memoratus facilius profligari potuit; indicem annotationis et observationum notabilium ipse conficiendum sumpsi, neque videtur ab eo quicquam abesse quod hodieque vir doctus ab Suidae commentariis exquirat.

Tandem laetamur divino numine nobis contigisse, ut magnis aerumnis exantlatis in portum appelleremus. Superest ut Suidam opibus amplissimis ornatam faustis ominibus et votis prosequamur, eumque fidentius auguremur, postquam in ora hominum doctorum et consuetudinem firmam pervenerit, inter utilissima studiorum Graecorum subsidia numeratum iri.

Scrib. m. Martio a. 1853.

COMMENTATIONES

DE SUIDAE LEXICO.

PROŒMIUM.

Vetus est dictum ab Iusti Lipsii auctoritate ductum, *pecus esse Suidam, sed pecus aurei velleris*. Vocem sane non honorificam viri docti calculis suis comprobarunt. Hinc mos ille plerisque communis increbruit, ut siquando per varias quaestionum opportunitates thesaurum bonarum rerum inexhaustum strictim decerpant (integrum enim lexicon ab nemine suspicor esse cognitum ac ne ab ipsis quidem editoribus continuo labore pertractatum), eximias quidem copias et materiam utilissimam agnoscant, erroribus autem per totum opus sparsis foedisque piaculis omne genus vexati vel impediti non cessent Suidam *stuporis* insimulare, qui praeclaris scilicet opibus prudenter uti nescierit. Ergo non dubitant in unius Suidae caput tot commissorum culpam certatim conferre. Longius etiam progressus, quem par fuit honori scriptoris sui consulere, Küsterus (in v. *Θαλά*) *pecuinum* ei *stuporem* exprobrabat; quo minus *Toúpium*, hominem protervum et intemperantis linguae, miramur nullis conviciis aut aculeis pepercisse, quibus *virum suavissimum ac fidei Graecae* libenter insectatur. Quodsi Küsterus munere critico qua decuit fide fuisset perfunctus et certissimum ducem, librum dico Parisinum optimum, secutus orationem Graecam infinitis fraudum accessionibus liberasset, idemque paulo frequentius vestigia fabricae recentis ipsis codicibus monstrata rimari coepisset: haud scio an iniqui reprehensores Suidae debitam gratiam rettulissent, abiectis magistellorum sordibus et seiuncto quicquid symbolarum in opiparam coenam confluxit. Nunc secus res cecidit. Nempe paucorum in manibus, de quo supra monitum in praefatione, Suidas versabatur, cumque prae ceteris exempla Küsteriana usurparentur, quae habent levem admodum et exiguum apparatus, pusillis istis annotamentis parum inerat unde tuto primitivas partes ab adulterinis discernere liceret. Misera profecto lexicographi condicio, quem nemo fere citra contumeliam vel suspicionem in gravissimis disputationibus adhiberet; constat autem Suida carere non potuisse, qui vel artem criticam inprimis in poetis Atticis facti-

distinctione, glossas eas coegit, quae nominatim edant fabulam. Talis autem index neminem iuvare queat, nisi quis otio circumfluat. Gaisfordus vero post indicem rerum novum collocavit eumque spatiosissimum, *indicem glossarum*; quem ut supervacuum propter eas rationes, quas in Commentatt. de Suida II, 2. exposui, reiiciendum duxi. Hunc autem excipit tertius, *index scriptorum a Suida citatorum*, qui locos aut cum nominibus aut tacite laudatos in unum ut par fuit contraxit et distinctos pro diversitate librorum et versuum singulatim enumerat, sed praeter morem receptum aedes glossarum paginis exempli Gaisfordiani accommodavit. Itaque nemo his uti potest nisi numeros apud Gaisfordum indaget; modo numeri ne sint vitiiati, quod per typographum saepius accidit. Illud tamen vehementius displicuit, quod editor materiam collectam ipse noluit diligenter explorare relatamque suos in ordines dispertiri, deinde quod nullam in homonymis discernendis (ut in *Ἀριστοφάνης, Διονύσιος, Μέγανδρος*) curam posuit ac ne Küsterianum quidem indicem post absolutam operam comparavit. Inde factum ut perturbentur ac distrahantur, quae ad eundem locum erant revocanda (vide vel congeriem perversissimam sub nominibus Philostrati, Iuliani, Synesii, ubi quae in annotatione nunc ad paginas nunc ad orationem quampiam vel epistolam referuntur, tanquam diversa seiunguntur); itemque ut libri et fabulae poetarum confunderentur, velut Iliadis versus cum Odysseae, Sophoclis Oed. R. cum Coloneo (peius etiam Trach. 722. 1325. cum Aiakis et Philoctetae versibus), Iosephi Bellum cum Antiquitatibus permutantur; sed nihil minus expectatum evenit, quam quod hic index auctorum plerumque mancus est ac saepenumero locis iis caret, quos Küsterus congesserat. Ac ne Scripturam Sacram (v. *Γραφή*) longius persequar negligentius habitam, satis est dixisse Timaei, qui sub octo glossis memoratur, quattuor, Symmachi tres, Porphyrii septem locos sileri, quorum sex apud Küsterum extant. His igitur damnis et incommodis serius animadversis infinitum quidem laborem nec libuit nec potui remeteri; quoniam tamen in indicibus Suidae non leve momentum ad iuvanda doctrinae studia situm est, novissimum taedium devorare statui, socio laboris assumpto God. Boehmio, tum scholae Halensis Latinae, hodie Dortmundanae praeceptore, qui fidem et diligentiam accuratissimam hoc etiam in genere mihi probavit. Tot symbolis adiutus materiam auctam et suppletam tutius curis secundis digerere coepi. Prae ceteris autem indicem auctorum expolivimus omnium usibus accommodatum et multis accessionibus locupletatum; plenissimum tamen et integerrimum minime spondemus. Index rerum supra memoratus facilius profigari potuit; indicem annotationis et observationum notabilium ipse conficiendum sumpsi, neque videtur ab eo quicquam abesse quod hodieque vir doctus ab Suidae commentariis exquirat.

Tandem laetamur divino numine nobis contigisse, ut magnis aerumnis exantlatis in portum appelleremus. Superest ut Suidam opibus amplissimis ornatum faustis ominibus et votis prosequamur, cumque fidentius auguremur, postquam in ora hominum doctorum et consuetudinem firmam pervenerit, inter utilissima studiorum Graecorum subsidia numeratum iri.

Scrib. m. Martio a. 1853.

COMMENTATIONES DE SUIDAE LEXICO.

PROŒMIUM.

Vetus est dictum ab Iusti Lipsii auctoritate ductum, *pecus esse Suidam, sed pecus aurei velleris*. Vocem sane non honorificam viri docti calculis suis comprobarunt. Hinc mos ille plerisque communis increbruit, ut siquando per varias quaestionum opportunitates thesaurum bonarum rerum inexhaustum strictim decerpant (integrum enim lexicon ab nemine suspicor esse cognitum ac ne ab ipsis quidem editoribus continuo labore pertractatum), eximias quidem copias et materiam utilissimam agnoscant, erroribus autem per totum opus sparsis foedisque piaculis omne genus vexati vel impediti non cessent Suidam *stuporis* insimulare, qui praeclaris scilicet opibus prudenter uti nescierit. Ergo non dubitant in unius Suidae caput tot commissorum culpam certatim conferre. Longius etiam progressus, quem par fuit honori scriptoris sui consulere, Küsterus (in v. *Θαλά*) *pecuinum* ei *stuporem* exprobrabat; quo minus *Tou̅pium*, hominem protervum et intemperantis linguae, miramur nullis conviciis aut aculeis pepercisse, quibus *virum suavissimum ac fidei Graecae* libenter insectatur. Quodsi Küsterus munere critico qua decuit fide fuisset perfunctus et certissimum ducem, librum dico Parisinum optimum, secutus orationem Graecam infinitis fraudum accessionibus liberasset, idemque paulo frequentius vestigia fabricae recentis ipsis codicibus monstrata rimari coepisset: haud scio an iniqui reprehensores Suidae debitam gratiam rettulissent, abiectis magistrorum sordibus et seiuncto quicquid symbolarum in opiparam coenam confluit. Nunc secus res cecidit. Nempe paucorum in manibus, de quo supra monitum in praefatione, Suidas versabatur, cumque prae ceteris exempla Küsteriana usurparentur, quae habent levem admodum et exiguum apparatus, pusillis istis annotamentis parum inerat unde tuto primitivas partes ab adulterinis discernere liceret. Misera profecto lexicographi condicio, quem nemo fere citra contumeliam vel suspicionem in gravissimis disputationibus adhiberet; constat autem Suida carere non potuisse, qui vel artem criticam inprimis in poetis Atticis facti-

tarent vel fragmentis librorum perditorum augendis instarent, denique qui historiam litterarum Graecarum in omnia doctrinae genera diffusam perscrutarentur.

Tandem beneficio *Gaisfordi* melior lux tam huic scriptori quam philologorum desiderii affulsit. Etenim Suidas lucem formamque pristinam hactenus recuperavit, ut quid ex librorum auctoritatibus germanum, quid subditum vel suspectum sit, statim oculorum obtutu possit dignosci, nec scripturam codicum in vetustis testimoniis, quibus lexicon affluit, rimantes apparatus destituat locupletissimus. Itaque nemo iam dubitet, qui centenas glossas in annotationem reiectas circumspiciat earumque numerum inire velit, quin opus amplissimum ultra dimidiam partem sedulitate lectorum hominumve studiosorum succreverit et manibus nunc commodis nunc ineptis, quibus non alia cura fuit nisi ut digitis cornucopiae comportarent, foedissimas interpolationes expertum sit. Quocirca non modo criticorum, sed omnium qui caute Suidam adhibere volent, interest primum causas et varia genera multiplicis auctarii nosse, deinde notas et indicia, quibus deterior interpolatorum aetas et fabrica teneatur et ab originibus sinceris distinguatur. His enim finibus recte constitutis suam in possessionem Suidas videbitur esse restitutus, ut eius doctrina, indicium, dignitas ex merito queat aestimari. Gaisfordus tamen cum susceptum munus dextre posset implere, noluit quaestionem longe fructuosissimam subire. Tantum enim abest ut leges istas et rationes interpolationis paulo severius indagarit, ut ne suppositas quidem glossas, quas omnes consentiunt ex marginibus inventas fuisse, velut onirocriticae poesis commenta, dictiones proverbiales, observationes ex aliis glossis identidem derivatas, constanter exterminarit, etiamsi nullam utriusque codicis (i. e. A. V.) auctoritas tutetur. Satius igitur ei visum hoc negotium sic expedire, ut siquas alteruter omittat, partem in annotationem coniiciat, reliquas autem uncis circumscribat.

Nos ut labores emendationis a Britanno critico laudabiliter susceptae novis curis sumpsimus pertexendos, ita disputationem de Suidae fontibus et subsidiis, de primitiva lexicis descriptione, de fraudibus interpolatorum, addita historia codicum et librorum editorum, tanquam provinciam derelictam non libet recusare. Sed brevitatem multo maiorem haec narratio sequetur quam olim destinatum erat. Nam et animus diuturnis taediis et aerumnis, quas per nimiam annorum seriem in Suida devoravimus, vehementer fessus requiem poscit et ad perorationem festinat, et redemptor promptissimus, quem honoris causa par est appellare, morae longioris impatiens urget ac vel invitum facile commovet, ut nihil nisi summam quandam et fastigia rerum perstringam. Itaque commentatio nostra quattuor capita continebit. Primum de Suida historiaque lexicis ab illo conditi, ab multis lectitati variosque in usus derivati tradit; secundum de partitione multiplicis materiae, quam Suidae thesaurus nova ratione conflavit, deque subsidiis et auctoritatibus, quibus tanquam emblematis opus tessellatum distinxit; tertium de lexicis fatiis et interpolationibus, quae librum multifariam ornatum oneratamque mirificam in molem diduxere; quartum in historia critica Suidae versabitur, quae ex indole codicum, ex editorum exemplorum cognitione, denique criticorum ex opusculis pendet.

CAPUT PRIMUM.

DE SUIDAE PERSONA, TEMPORIBUS ET HISTORIA LEXICI AB ILLO CONDITI.

Solent narrationes de scriptoribus antiquis fere sic institui, ut quaestio de persona moribus aetate nunc brevis nunc molestior ac multis ambagibus diducta praetexatur. Hoc tamen loco paucis defungi licet. Suidas enim cuius fuerit et quibus temporibus interfuerit nemo prodidit; neque saeculum hominis constituimus nisi minutis quibusdam significationibus probabiliter coniunctis. Nomen quidem *Σουίδας* (v. Schol. Ven. II. δ. 66.) nec recens fuit nec prorsus in litteris obscurum. Extitit autem Suidas scriptor *rerum Thessalicarum*, fabulas et antiquitates rariores diligenter scrutatus, cuius locos conguessit C. Müllerus in *Fragm. Histor. Vol. II. p. 464.* Is quod interdum popularium ambitioni favisse videbatur, propterea Strabo sub finem I. VII. (*Σουίδας δὲ τοῖς Θεσσαλοῖς μυθώδεις λόγους προσχαριζόμενος*) eum reprehendit, cum oraculum Dodonaeum a Thessalorum stirpe repetisset; nec dissimiliter ab Achille, Dodonaeum Iovem apud Homerum invocanti, Thessalicum deum compellari censuerat. Steph. v. *Δωδώνη: καὶ Σουίδας δὲ φησι Φηγηναίου Διὸς ἱερὸν εἶναι ἐν Θεσσαλίᾳ, καὶ τοῦτον ἐπικαλεῖσθαι.* Multus omnino fuit in fabulari doctrina, quam loci de Centauris et natalibus Achillis e *duobus* libris *Θεσσαλικῶν* a Schol. Apollonii I, 554. 558. II, 1231. prolati demonstrant; nam tertium librum quod ab iisdem Scholiis IV, 816. memorari perhibent, error est. Porro cursus Argonautarum ille non praeteriit, si quid ex Schol. II, 1015. colligimus. Ceteram ne quis opinetur eam res Euboeae tradidisse, prava scriptura motus Schol. I, 558. *Σουίδας γὰρ καὶ Ἀριστοτέλης οἱ περὶ Εὐβοίας πεπραγματευμένοι . . . καὶ Δαῖμαχος καὶ Διονύσιος ὁ Χαλκιδεύς:* periti facile intelligent *οἱ περὶ Εὐβοίας πεπραγματευμένοι* post *Χαλκιδεύς* esse transponenda; neque verior est alter titulus apud Steph. v. *Ἄμυρος*, ubi vulgata *Σουίδας δ' ἐν ταῖς γενεαλογίαις* Meinekius perspexit post iacturam nonnullorum verborum male coisse. His affinis est observatio Schol. Vatic. in Eurip. *Androm.* 18. monentis Thetideum esse Thessalorum oppidum, *ὣς φησι Φερεκύδης καὶ Σουίδας.* Accedat alia de civitate Gyrtone, Schol. Apoll. I, 57. ubi accessionem libri Parisini *οὕτως Ἴδας φησὶν* recte correxerunt; adde de Larissa quae ex I. I. Eust. in *Od. ζ'*. p. 1554. memoravit. Tandem in Deucalionis fabula *Σουίδας* affertur ab Hesychio v. *Πυλῆαία.* Thessalicus autem scriptor hunc nobis usum praestabit, ut Suidae lexicographi nomen ab errore virorum doctorum (v. Fabricii *Bibl. Graec. T. VI. p. 391.*) vindicemus, qui saeculis superioribus *Sudam* temere dictitabant. Sed fortiter iis repugnavit Casaubonus in *Diog. I, 101.* cui praeter alios idoneus adest testis Eustathius toties Suidam appellans; eumque post Maussacum in *Diss. crit. p. 395.* sequitur Küsterus in ipso commentariorum initio, quamquam tres Regios Parisinos et Colbertinum *Sudae* nomen concedit praescripsisse. Similiter Morellius

in Biblioth. MS. (Bassani 1802.) p. 314. *Auctor Σουδάς in codicibus Marcianis omnibus appellatur.* Tandem Thessalum Suidam, quem principibus Romanis apparet fuisse vetustiore, quod *Lilius Gyraldus* (v. Küsteri praef. p. II.) non diversum a Suida lexicographo duxit, id infantiae temporum illorum condonandum. Sed quid *Brequignium* (*Notices et Extraits* T. V. p. 10.) censebimus, qui Gyraldi somnium etiam superaverit? quicquid enim glossarum probarum extet, id ad Thessalum istum, christianas autem ac deteriores ad interpolationem senioris aevi simpliciter revocabat.

2. Nomen igitur tenemus, Suidae Byzantini hominis non magis professionem quam aetatem tenemus. Grammaticam et liberales disciplinas eum docuisse vix crediderim, nec persuadet operis color aut interioris notae doctrina. Nihil usquam apparet quod reconditas artes in prosodia, notatione vel fabrica vocabulorum, observatione glossematicae solitariae dictionis positae aut vitam diiudicandis et explanandis scriptoribus classicis consecratam arguat. Nam etyma sicubi commemorantur, ea fides librorum aut ignorat (ut appendicem v. *Ἀγροχώρας*) aut in suspicionem adducit (ut quae v. *Ἄσπις* adhaerent expellenda sunt); contra praecepta prosodica, formulae vel significatus rariores, fragmenta poetarum, potissimum scenorum, exquisita, quibus olim apparatus et existimatio nobilis grammatici censebatur, omnia bonis lexicis rhetoricis ac scholiis lectissimis debentur; neque hac in parte Suidae condicio magnopere discrepat ab Eustathio, qui quicquid in genere grammatico sapit e digestis et commentariis philologorum antiquis haud operose deprompsit. Huc accedit ut Suidas nullos proferat primorum ordinum grammaticos aut magistros antiquitatum, quin eorum nomina sententiasque a scholiis eruditis et glossariis acceperit. Itaque verisimillimum videtur eum ecclesiastico quodam munere functum ac solo litterarum amore ductum grammaticorum etiam studia complexum esse. Rationes ut videtur eadem *Iosephum Scaligerum* praeter alios moverunt ut Suidam appellaret *monachum* Coniect. in Varron. p. 100. Bip. Sic demum intelligi licet cur ille particulis historiae sacrae, vitis patrum episcoporum haeresiarcharum, glossis sacris, nominatim Theodoreteis explicationibus locum concesserit amplissimum. Ceterum fidem eius orthodoxam et ab iconomachorum furore prorsus alienam profitetur insectatio Theophili Imperatoris acerbissima, quam praestat v. *Θεόφιλος*.

Sequitur ut aetatem Suidae satis probabiliter constituamus. Quodsi quaestionem finibus extremis, ultra quos coniectura non possit evagari, paulo laxius circumscribimus, Suidas iis annis scripsit qui Photium inter et Eustathium interiecti sunt. Illum enim decerpserit, ab Eustathio frequenter adhibitus est; nam quod a Zonara quamvis in paginam lexi sui translatus videtur, id aliorum spectare demonstrabitur in huius capituli §. 4. Libentius ei sufficeremus Eudociam, Diogenis Romani coniugem (sub a. 1070.), quae plurimum ab Suida profecit, modo constaret illius libellum purum et ab interpolatione vacuum mansisse. Proinde hisce terminis parum lucratur, ut quibus tria saecula contineantur. Sed angustiorem in gyrum vel illud nos compellit, quod Suidas bibliothecis usus est auctoritate Constantini Porphyrogeneti digestis, velut Excerptis historicis et Anthologia Cephalae. Hactenus efficitur ut neque post saeculum XI. neque ante finem S. X. queat collocari. Iam longius progredienti commode succurrit locus v. *Ἀδάμ*, unde H. Valesius in Praef. Collectaneorum iisdem paene temporibus quibus Imperator Constantinus Suidam collegerat vixisse. Namque temporum notatio ibi desinit in haec verba: *ἀπὸ δὲ τοῦ Πορφυρογενήτου ἕως τῆς τελευτῆς Ἰωάννου τοῦ Τζιμοκῆ ἔτη κέ.* Ubi *Reinesius*: „A. C. 974. Hoc tempore vixisse Suidam patet ex iis quae habet in *Πολύευκτος*.“ Dicit autem glossam per

lectores inculcatam, quam cum MS. A. unde pedem intulit in marginem ablegavi: Ἐγένετο καὶ καθ' ἡμᾶς Πολύευκτος, ἀποφράς, ἡμιγύναιος, Θεοστυγής, βαρυόργητος, Κωκυτοῦ καὶ Στυγὸς δεινὸν καὶ ὀλέθριον τῷ βίῳ ἐκλόχευμα. Sed quisquis istud virus conviciorum evomuit, in aequalem vel suis temporibus non multo superiorem effudit: Polyuctus autem, patriarcha Constantinopolitanus, homo tetricus et acerbissimus hierarchiae vindex, cuius constantiam Imperatores Nicephorus Phocas et Ioannes Tzimisce experti sunt, admiratorem ille nactus disertum Leonem Diaconum, vita decessit a. 970. Quodsi quis possessor talem annotationem marginibus codicis sui commisit, efficitur ut auctor lexicum non ultra posteriorem Saec. X. partem differri possit. Neque huic obest calculo, quod glossae Ἀδάμ novissima pars non eiusdem fontis est et aetatis cuius praegressa computatio. Huius enim verba Ὅτι ἀπὸ Ἀδάμ et quae sequuntur usque ad Michaelis memoriam debentur Nicephori Breviario; extrema vero, ἀπὸ δὲ Μιχαὴλ ἕως Ῥωμανοῦ νιοῦ Κωνσταντίνου τοῦ Πορφυρογεννήτου ἔτη [εὐρηται ρκ.] ἀπὸ δὲ τοῦ Πορφυρογεννήτου ἕως τῆς τελευτῆς Ἰωάννου τοῦ Τζιμισκῆ ἔτη [κέ.] non modo numeros habent vitiatos, sed desunt etiam quae uncis inclusa sunt optimo MS. A. partim aliis quoque libris. Istam igitur appendicem qui subtextuit, calculos non perfecit; sed sive Suidas Nicephorum continuavit sive homo studiosus (extat autem in Augustano Zonarae codice Nicephorus ad obitum Tzimiscis usque productus, Tittm. Prolegg. Zon. p. XI.), neutrius aetas multum ab imperio Tzimiscis afuit. Alioqui causam non licet invenire cur post tantas epochas tantillum temporum spatium observatione dignum habeatur; nam Romani principatus a Tzimiscis obitu sedecim annis distat. Eadem ratio cadit in librarios audaculos, qui computationem suam usque ad principatum Ioannis Palaeologi Secundi sive a. 1438. in recentissimis duobus MSS. (v. Brequignium in *Notices* T. V. p. 8. Morellium in *Bibliotheca* supra dicta p. 314. sq.) produxerunt. Ceterum quae disputavimus de conclusione gl. Ἀδάμ, ea glossam alteram Κωνσταντινούπολις in memoriam revocant; eam vero tam indoles annotationis quam praefixum ὅτι serius arguit accessisse. Verba novissima sunt haec: ἀπὸ δὲ τῆς πίσεως τῆς νέας Ῥώμης μέχρι τῶν κατεχόντων τὰ σκῆπτρα Ῥωμαίων Βασιλείου καὶ Κωνσταντίνου τῶν Πορφυρογεννήτων ἔτη. . . Ubi quod denuo numerum deficere videmus, arguit id planissime ab eiusdem, ad quem redit accessio glossae Ἀδάμ, ingenio haec profecta fuisse. Nec iam dubitari potest quin Suidae lexicon, quod huiusmodi notationibus temporum sub dominatu Basilii II. et Constantini IX. (hoc est, post mortem Tzimiscis) repletum est, iam sub a. 976. in manibus et ore hominum versari coeperit. In hac igitur parte discedimus a R. Bentleyo, qui in *Phalarid.* p. 159. ex v. Ἀδάμ collegerit Suidam intra annos 975. et 1025. scripsisse. Idem tamen iure Hieronymi Wolfii exagitavit errorem, qui cum *Logothetam* aliquoties a Suida laudatum vidisset, de Theodoro Metochita cogitans auctorem lexicum sub Palaeologis vixisse somniavit. Non iniucundum fuerit Bentleyi sententiam cognovisse. „Sed quicquid id est (inquit), error Wolfii est. Loca enim quae respicit, sunt in v. Ἀβαξί et Νοθεύει, ubi quidem citatur Logotheta, non vero iste Logotheta, quem opinatus est Wolfius, *Theodorus Metochita Logotheta*, qui mortuus est a. 1302. sed *Simeon Metaphrastes Logotheta*, qui floruit saeculo X. incunte. Verba sunt — in v. Νοθεύει: ἐν τῇ τοῦ μακαρίτου Λογοθέτου μεταφράσει τῇ εἰς τὸ μαρτύριον τοῦ ἁγίου Λουκιανοῦ. Ubi ipso nomine *Μετὰφρασις* significatur Simeonem *Μεταφραστήν* respici; sed, quo res demonstratur, extant etiam duo isti sermones Simeonis. Adhaec lector observet Simeonem *μακαρίτην* a nostro dici; quo nomine nunquam, puto, usi sunt Graeci nisi de illis, qui non ita pridem, et quidem memoria eius qui dicat, mortui sunt. Floruit autem Simeon tempore Leonis, qui mortuus est 58 annis ante ultima tempora, quorum in rationibus Suidae mentio fit.

Siergo Simeonis aequalis fuit Suidas, oportet brevi post mortem Zimisceae, CC. ante Eustathium annis, librum suum scripserit.“ His Bentleii verbis nihil adiiciendum praeter unum, quo pars argumentationis elevatur, glossam scilicet unicam in qua *μαχαρίτης* Logotheta dicatur esse suppositam. Recte tamen fecit quod Pselli versiculis aliquoties insertis, quos Küsterus monuit esse suspectos, nihil tribuit. Nam praeter alios Oudinus in medium Saec. XII. reiecit Suidam, quippe qui Psellum et Simeonem Metaphrasten laudet, ipse ab Eustathio laudetur. Recentissimus autem nisi fallor auctor est Logotheta, quem Suidas descripserit nomine prolato; nam Oecumenius interpres Epistolae ad Romanos, cuius ad auctoritatem refertur gl. *Περιτομή*, vereor ut in censum veniat. Nempe nihil habet illius brevis observatio quin ex aliis multis fontibus derivari potuerit. Vide vel Photii Epist. 205.

3. Lexicon ab Suida conditum quoniam reliquis insigni rerum et verborum copia multum praestabat, homines id diripere coeperunt et multis additamentis locupletare, postmodum etiam partes tanti thesauri novos in commentarios sermonis Graeci traducebant. Hinc magna vis interpolationum, quas per tertium caput manipulatum enarrabimus, nec substitit in magnis vel fortuitis accessionibus, quarum nullus codex immunis fuit, lectorum et librorum industria; sed glossas etiam fusiores et amplas, ut ingenium aevi Byzantini semper epitomas et brevissimam disciplinam captabat, membris demptis vel transformatis videmus per ignaviam mutilari. Hanc quidem sortem inprimis liber Vossianus expertus est, graviolem etiam eius gemellus Oxoniensis C. Nunc tamen de studiis doctorum virorum explicandum, qui Suidam Saec. XII. suos in usus converterunt, potissimum Eustathii et si credimus Zonarae. Horum Eustathius leviolem poscit mentionem, quippe qui rarius quam pro mole commentariorum suorum illum excitet; vehementer enim dubitamus num ex vero contendat Küsterus in glossa *Πύνδαξ*, quae iam sublata est, tacito nomine Suidam ab Eustathio saepius compilari. Sed quanti fidem lexicographi fecerit, ostendit eius iudicium de v. *Θεαίδεστατον*. Glossas autem cum Archiepiscopi verbis infra posui. Pleraque horum pertinent ad Parecholas Odysseae.

- v. *Ἀνδράχλη*. διὰ τοῦ ᾧ ἐνικῶς. ἀντὶ τοῦ αἰθρανος. Nam perperam Küsterus alteram *Αἰθρανος*, quae post v. *Αἰθρου* olim erat intrusa, putabat ab Eust. in Od. ἡ. p. 1571, 25. respici: καὶ ἡ παρὰ τῷ Σουίδα αἰθρακος (sic), ἡ καὶ ἀνδράχλη ὡς ἐκεῖνος λέγει.
- v. *Ἰννοί*. οἱ κολοβοὶ τῶν Ἰππων. Hanc potius quam sinceram glossam *Νάνος* tangere videtur in Π. λ'. p. 834, 47. ἴσως δὲ καὶ τοῦ γίννος Ἰννος, ὧν τὸ μὲν παρὰ Ἀριστοτέλει κεῖται —, τὸ δὲ ἐν τῷ κατὰ στοιχεῖον μεγάλῳ βιβλίῳ τοῦ Σουίδα, δηλοῦντα ζωΐδια κτλ.
- v. *Θεαίδεστατος* fere totidem vocibus descripsit Eust. in Π. γ'. p. 378. ὁ δὲ γράψας ἐν στοιχειακῇ τάξει λέξεων λέγεσθαι Θεαίδεστατον διὰ τῆς αἰ διφθόγγου προπαραληγοῦσης τὸν θεοῦ ἰδέαν ἔχοντα, καὶ παραθεῖς χρῆσιν Ἀντιφῶντος, τὸ Ἀνθρωπος ὅς φησι πάντων θηρίων Θεαίδεστατος γενέσθαι, καινὸν μὲν τι γράφει, πιστεύεται δὲ ὡς λόγον πολλοῦ ἄξιος.
- v. *Κολόκυμα*. τὸ κωφὸν κῦμα καὶ μὴ ἐπικαχλάζον. Eustath. in Od. ε. p. 1539, 54. ὅτι δὲ ταῦτὸν κολόκυμα καὶ κωφὸν κῦμα δηλοῖ ὁ γράψας· κολόκυμα, κωφὸν καὶ μὴ (hoc deest ed. Lips.) ἐπικαχλάζον.

- v. *Μάλεος*. *Μάλεος γάρ τις τελέσας τὸν λίθον τοῦτον ἀνιέρωσε τῷ Ποσειδῶνι πρὸς τὸ μὴ τὰ κύματα προσπελάζειν τῇ Φαισιτῷ*. Repetit Eust. in Od. β. p. 1469, 22. ὅτι δὲ ὁ ὡς εἴρηται μικρὸς λίθος ὁ κατὰ Φαιστὸν τετελεσμένος ἦν πρὸς τινος Μαλέου, καὶ ὡς ἀνιερῶθη Ποσειδῶνι πρὸς τὸ μὴ τὰ κύματα πελάζειν τῇ Φαισιτῷ, ἐν τοῖς τοῦ Σουίδα κεῖται.
- v. *Ἵοί*. ὀδυρομένων ἐστὶν ἐπίφθεγμα καὶ δυσχεραίνοντων· καὶ οἱ φοβούμενοι δὲ οὕτω λέγουσιν. Haec sic disposuit Eust. in Od. ε. p. 1538, 45. πολλῶν δὲ καὶ ἄλλων τοιούτων ὄντων, οἶδεν ὁ Σουίδας καὶ τὸ ὄϊ (sic), κοινότερον μὲν ὄν τοῦ ὀή, ἐπιφθεγγόμενον δὲ ὑπὸ δυσχεραίνοντων καὶ φοβουμένων καὶ ὀδυρομένων.
- v. *Παραβλήδην*. ἀπατητικῶς, παραλογιστικῶς. Eust. in Od. α. p. 1406, 22. καὶ τὸ παραβλήδην παρ' Ὀμήρῳ . . . κατὰ δὲ τὸν Σουίδα ἀντὶ τοῦ ἀπατητικῶς, παραλογιστικῶς.
- v. *Ποδηγέστερον*. ὀδηγητικώτερον. Eust. in Od. β. p. 1441, 12. καὶ τὸ ποδηγέστερον ἐκ τοῦ ποδηγός, ἀντὶ τοῦ ὀδηγητικώτερον, ὅπερ ἐν τοῖς τοῦ Σουίδα κεῖται.
- v. *Πρόεγμα*. στήριγμα. Eust. in Od. ε. p. 1528, 27. ἐστὶ δὲ πρόεγμα, ὡς δηλοῖ ὁ Σουίδας, στήριγμα.
- v. *Πυρσουρίδας*, addito testimonio historici, interpretatur Eust. in Od. η. p. 1571, 26. ἐνθυμητέον δ' ἐνταῦθα καὶ τὰς παρὰ τῷ Σουίδα πυρσουρίδας, φανούς δηλαδὴ βαρβάρων ἔλευσιν προσημαίνοντας.
- v. *Φιαλεῖς*, ubi novissima sunt, φιαλεῖν δὲ κυρίως ἐστὶ τὸ ἄρχεσθαι πράγματος. Ἀριστοφάνης· Ἄγε δὴ σὺ ταχέως ὑπεχε τὴν φιάλην, ὅπως Ἔργῳ φιαλοῦμεν, εὐξάμενοι τοῖσιν θεοῖς. Huc respexit Eust. in Od. α. p. 1403, 17. εἰ δὲ κατὰ τὸν Σουίδα οὐκ ἐστὶ τετρασυλλάβως ἐφιαλεῖς ἀλλὰ τρισυλλάβως φιαλεῖς ἀπὸ τῆς φιάλης, ἀντὶ τοῦ, μετ' εὐχῆς ἔξη τοῦ πράγματος, κατὰ τὸ Ταχέως ὑπεχε (editur ὑπεσχε) τὴν φιάλην, ὅπως ἔργῳ φιαλοῦμεν κτλ.
- Contra quae leguntur in Od. σ. p. 1851, 24. τοῦ δὲ μεσθός . . . καὶ μισθάριον καθ' ὑποχορισμόν, οὐ χρήσις καὶ ἐν τοῖς τοῦ Σουίδα, eorum evanuit omne vestigium, atque videtur Eustathium fefellisse memoria.

4. Eustathium qui paulum aetate superavit, Zonaras primus creditur Suidae thesauros in suum Lexicon transfudisse. De quo nihil aut verbo haberemus monere, si huius editor muneri sic satisfacisset, ut scriptorem ipsum quem titulus ostendit philologi tenerent. Nempe Iohannis Zonarae Lexicon ex tribus codicibus primus in lucem protulit, duos in tomos diductum et observationibus illustratum, I. Aug. Henr. Tittmannus, olim theologus Lipsiensis. Et observationes quidem silentio praetermittimus, quas nemo non intelligit satis exiliter esse confectas, non e diligenti litterarum Graecarum aut ecclesiasticarum usu profectas; minus autem excusare licet, quod multas glossas ille reliquit intactas et infinitam vim corruptionis patienter talit vel successu mediocri tentavit. Nunc illud unice premendum, quod homo verbosus duobus voluminibus Zonaram nobis venditavit, qui nullus unquam extiterat. Tribus scilicet apographis usus inter se diversissimis, quibus modo glossae continentur breves et ieiunae, nunc observationes semidoctae crebrisque testium veterum exemplis munitae, tantam ille discrepantiam multum afuit ut e dissimillima lexicorum natura interpretaretur, ut potius brevitatem ad ignaviam vel festina-

tionem librariorum referret, pleniorum autem formam lexicographo dignissimam haberet. Longius vero progressus eandem legem etiam ad Suidam traduxit, cuius in glossis et locis omittendis scribae licenter grassati fuerint, antequam Küsterus (mirabile dictu) egregia multa Parisinis ex codicibus repararet. Iam cum Augustanus liber multis partibus brevior sit et indoctior Dresdensi, hunc ut locupletem Tittmannus ducem et fundum Zonarae sui elegit: apparet enim luculentissime (inquit) non Dresdensem interpolatum esse, sed Augustanum multa temere omittere, multa truncata aut in compendio exhibere, genuini vero operis exemplum Dresdensem exhibere. Vide Prolegg. p. XIX. sqq. Adeone quemquam inventum fuisse tam hebetem et inopem ingenii, ut aliquot paginis perlectis paulisper dubitaret uberrimae lexicis descriptioni, quam Dresdensis complectitur, nihil nisi Suidam subesse in epitomen missum, exilem contra glossarum congeriem, quae nullo lectionis apparatu splendeat, ipsam Zonarae manum referre? Huius autem rei veritatem facillimo licebit experimento probare. Subiecit enim Tittmannus indiculum auctorum apud Zonaram, sane nec plenum neque commode structum, sed ut usibus nostris sufficere queat. Ibi recurrunt sparsa litterarum profanarum testimonia, quae paucis e scriptoribus classicis clarisque paulo liberalius laudantur, potissimum tamen ex Anthologia, Apollonio Rhodio, Aristophane, Demosthene, Herodoto, Polybio, Procopio, Sophocle, Thucydide; quamquam neque hos nec rariorum nominum locos apparet a studiosa commentatione luminumque veterum observatione esse profectos. Sed quicquid speciem eruditionis et elegantis doctrinae iactat, id omne Suidae debetur, sic ut nec poetae epigrammatici versiculus nec Polybii formula lexicographo relinquatur. Atque haud scio an sufficiat vel paucas pagellas 255—274. contemplari, ubi verba ex ἀπό composita nullis firmantur exemplis nisi quae Suidas suppeditavit. Subtractis igitur gemmulis et luminibus adventiciis nihil ille sibi arrogabit praeter suetas Etymologicorum copias et auctoritates poetarum scholasticas, ut Homeri vel Hesiodi, itemque grammaticorum, ut Herodiani Ori Georgiique Choerobosci; quibus accedit numerus haud exiguus et glossarum sacrarum cum dictis utriusque Testamenti probantibus et definitionum ex interiore philosophia, qualem tum theologi Byzantini tractabant. Quid multa? germanus Iohannes Zonaras, quem apparet profanae lectionis parum degustasse, more vulgari glossarium additis etymologiis condiderat; nec dubium quin modicum unum volumen cum paucis annotationibus, si quidem typis dignus erat, eum capere potuerit. His autem quos dixi finibus omnes lexicis codices continentur, nisi quod variis accessionibus passim inter se differunt; iisque debet annumerari codex Bernensis, quem Sinneri perversus error (ab I. Morellio dudum confutatus, v. Tittmanni p. XXXIII. sqq.) olim Iohanni Damasceno tribuit, ipse post C. G. Mülleri Anal. Bernens. Partic. I. p. 9. sq. dum in Bibliotheca Bernensi versor ad unum Zonaram redire mihi persuasi; porro quem *Ducangius* adhibere solet in Glossario labentis Graecitatis, *Suidas in Etymologico*, de quo titulo Bastius in Gregor. Cor. p. 541. ambigebat. Contra quod non dissimiliter *Salmasius* (v. comm. in Hist. Ang. T. I. pp. 779. 837. 935.) *vetus Etymologicum Suidae* posuit, glossis ut aiunt Graeco-Romanis usus, earum nec Suidas habet vestigia neque Zonaras, item ut frustra circumspexeris Suidam, unde *Salmasius* in Tertull. de Pallio p. 333. dictum traxerit incognitum, ἀγορανόμοι οἷς ἐμελεσεν περὶ τε τῶν ἀθλητρίδων καὶ ψαλτρίων καὶ χορολόγων. Nempe non ad Zonarae quodpiam apographum ista redeunt, sed ad Etymologica Palatina sive Parisina, quae Gudiano edito maxime cognata sunt. Similiter codex Marcianus Etymologici M. (vide Gaisfordi praefat. p. 4.) inscriptum habet, Ἀρχὴ σὺν θῷ τῶν ἐτυμολογιῶν τοῦ Σουίδα, quarum duas voces novissimas manus recentior adiecerat. Sed non alienum fuerit *Cramerum* in Anecd. Graec. e codd. Bibl. Paris. Vol. IV. p. 59. audire, significantem etiam unde

Suidae nomen irrepserit: „Codex 2636. chartaceus est form. in fol. et saeculo XV. videtur exaratus. — In primo folio minutissimis characteribus miniatis leg. *Λεξικὸν τοῦ Σουίδα*. — Annotabo tantum eundem titulum invenisse Salmasium in Palatinae Bibliothecae Lexico, e quo quaedam excerpserit, nunc etiam in Bibl. Reg. Paris. asservata. Ego haec Salmasiana Excerpta contuli cum Cod. Reg. 2636. et ea omnia consentire repperi“. Iam quae pro speciminibus inde Cramerus decerpserit, ea nihil nisi supplementa praebent et variam scripturam Etymologici Gudiani. Itaque probabiliter ad similem fontem revocabimus, quae tanquam ex Suida protraxit Stephanus in Aristot. Rhetor. ap. Cramer. Anecd. Pariss. Vol. I. p. 272. τὰ δὲ κοττάβια οἱ μὲν φασιν ὡς ἐν τῇ Σουίδα εὔρηται· τύμπανα ἢ σαυλάκια ἢ ἐκπώματα ἢ κωμύδρια οὕτω λεγόμενα. Quae hodie desiderantur apud Suidam, sed quam Stephanus iste narrationem subiunxit de cottabis, ea totidem vocibus continetur in secunda gl. *Κότταβος*. Neque secus *ineditum Suidae Etymologicum* sese habere suspiceris, quod *Villoisonus* Anecd. T. II. p. 250. Venetiis sibi visum descripsit, confundens illud cum Suida. Sed revertamur ad Zonaram. Vidimus igitur huius consilium et doctrinam ab Suidae rationibus plane discrepare, nedum ut Zonaras ab hoc potuerit describi, quod *Valckenarii* (in Theocr. Adoniaz. p. 297. in Herod. V, 33.) sane temerarium fuit iudicium, Excerptis quibusdam in Bibliotheca Leidensi suam in rem abutentis. Nimirum ignorabat vir eximius bipartitum esse genus codicum, quorum alii nudum et principalem glossarum indicem servant, alii copias Suidae cum variis testimoniis admiscent, velut Parisinus ab eodem Cramero Anecd. Pariss. Vol. IV. p. 82. sqq. parum fructuose descriptus. Neque iam attinet in perversissimis Tittmanni commentis (Prolegg. p. LIII. sqq.) inhaerere, qui dignitatem lexicographi sui deterrima comparatione sic exornet, ut lexicon post Hesychium omnium scilicet quae supersunt copiosissimum doctissimum accuratissimum affirmet ab Suida neque rerum copia neque eruditione et grammatica subtilitate superari, sed multis modis vincere, Suidamque frequenter ex illo consarcinatum et interpolatum fuisse. Sufficit quod ostendimus, vanum et commenticium esse Zonaram fabricae Lipsiensis; sincerum autem lexicum argumentum verissime declarat inscriptio codicum, si quis simpliciter interpretetur: *Συναγωγή λέξεων συλλεγεῖσα ἐκ διαφορῶν βιβλίων παλαιᾶς τέφρου γραφῆς καὶ τῆς νέας καὶ αὐτῆς δῆπου τῆς θύραθεν*.

5. Superest ut epitomas enumeremus ex Suida confectas. Earum est notissima quam *Eudocia Augusta* Violario suo tanquam indicem litteratum intexuit. Solet enim post fabulas Graecae mythologiae vitas et libros auctorum clarissimorum ex ordine litterarum hactenus recensere, ut sub praescriptionibus poetarum, historicorum, philosophorum, rhetorum, grammaticorum, aliorum nomina distribuat e Suidae lexico plerumque repetita. Sed raro mulier erudita recessit a tralaticia librorum scriptura, neque saniozem aut emendatorem servat memoriam locorum, quos apud Suidam legerat: ut usum criticum ea prope nullum afferat. Interim nonnihil inde lucratur, primum quo Suidam modicis additamentis augeamus, deinde leviores ut accessiones ab lectoribus invectae expungantur. Et additamenta quidem non spernenda hinc recuperant voces *Ἀρχιμήδης*, *Ἄψυρτος*, *Δαμόκριτος*, *Δίων Ἰππαρίνου*, *Μητροφάνης*, *Νεάνθης*, *Πρόκλος Μαλλώτης*, *Ροῦφος*, *Σιβύρτιος*. In his videri potest e plenioribus libris profecisse; alibi tamen *Eudocia* praebet quaedam auctaria, quae tantum ab Suidae narratione distent, ut ad fontes diversos revocanda sint: dico glossas *Ἐπαφρόδιτος*, *Κάλλιππος*, *Μυρώ*, *Σαλούστιος Μωσιέτης*, quam autem prodit scripturam gl. *Μάξιμος Τύριος*, ea studioso cuidam homini debetur. Longe maiorem fructum in iis glossis percipimus, quas sedulitas lectorum opibus Athenaei cupidius exornavit. Aut enim Athenaei

nomen ignorat Eudocia, velut in v. Ἐριφος novissima ὡς φησιν Ἀθήναιος ἐν τῷ ἰδ' τῶν Λειπνοσοφιστῶν, itemque sub v. Εὐθυκλῆς, gl. 2. Πλάτων, Φίλιππος κωμικός, aut narrationem sic conformavit, ut Suidam interpolatum esse satis appareat. Exemplis defungamur his. Gl. Λαμόξενος sic est perscripta: Δ. Ἀθηναῖος, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ Σύντροφοι, ὡς Ἀθήναιος λέγει ἐν τρίτῳ Λειπνοσοφιστῶν· καὶ Ἐαυτὸν πενθῶν, ὡς πάλιν ὁ αὐτὸς ἐν τῷ ἐνδεκάτῳ. Istorum tria priora nomina, nec quicquam ultra, posuit Eudocia. Sed qui levem cum Suida familiaritatem contraxerit, ab hoc talem citandi morem, quem philologi nostri temporis sequuntur, novit alienum esse; neque dubium quin appendix aliunde fluxerit, ad eandemque normam exigenda sit glossa quarta Διόδωρος. Porro iuvat nos luculenter Eudocia, Cicilium poetam tradens: Κικίλιος Ἀργεῖος ἐποποιὸς ἀλιεντικὰ γεγραφῶς καὶ περιήγησιν Ἑλλάδος, καὶ ἄλλα. Brevius etiam in glossae principio Suidas: Κ. Ἀ. ἐποποιός, Ἀλιεντικὰ γεγραφῶς, at his quae succedunt, καὶ Νουμήνιος Ἡρακλεῦτης, Παγκράτης Ἀρκάς, Ποσειδώνιος Κορίνθιος, Ὀππιανὸς Κίλιξ. καταλογάδην δὲ ἔγραψαν οὗτοι· Σέλευκος Ταρσεύς et quae sequuntur, nonne manum intempestivam arguunt, quae memoriam Halienticorum plenissimam ex Athenaeo congesse- rit? Tertium sit documentum v. Πυλάδης, quam ex eadem Athenaei Epitoma misere fabricatam Eudocia dedit nec prudentius indidem amplificavit. Ceterum priusquam mulierem doctam dimittamus, monendum videtur. Excerpta quaedam de Dictye, quae cum Eudocia conspirant, de Epimenide, de Rhiano contineri libro Parisino n. 2600. sub inscriptione Ἐκ τοῦ Σούδα, unde Millerus in Marciani et aliorum geographorum opusculis p. 311—313. reposuit.

Macarii Hieromonachi Eclogam e Suidae lexico si quis cognoscere cupit, speciminibus sane pusillis satisfaciet Tittmannus post Prolegg. in Zonaram p. XCII—XCVI. Minus indocte brevius lexici corpus concinnavit ex Etym. M. et Suida Constantinus Lascaris, de quo narrat Iriartes in Codd. Matrit. Graec. 21. p. 83. Porro his vetustiore Episcopum Lincolnii Robertum Capitonem (Grossetête), qui post gravissima rerum discrimina a. 1253. obiit, Suidam Latine vertisse tradit post Vossium de Histor. Graec. II, 26. Schoellius in Hist. litt. Graec. T. III. p. 198. ed. Berol. dubitatque num illius opus adhuc extet. Sed quamvis Matthaeus Paris, quem ille testem edit, Suidam ab Roberto e Graecis translatum et annotationibus illustratum referat, in amplissimo tamen librorum ineditorum indice, quem praeter alios Oudinus de Scriptt. ecclesiast. T. III. confecit, nulla tanti laboris vestigia supersunt. Itaque Fabricio videtur assentiendum, qui nihil nisi lepidam fabulam gl. Ἰησοῦς, ab multis Latine versam (cf. Fabricii Cod. apocryphum N. T. I. p. 371. II. p. 547. cui Harlesius addit libellum rarum, De Iesu Christi sacerdotio narratiuncula, Gr. et Lat. ed. 1541.), a Roberto tractatam suspicetur.

Desinat narratio nostra in opusculum Bibliothecae Parisinae, quod ipse Parisiis degens inspexi. Tenet enim codex chartaceus Supplem. 96. quartae formae, medico ambitu, delectum Suidae, qui glossas ad historiam maxime litterarum Graecarum spectantes, sed in compendium redactas non sine verborum mutationibus complectitur. Ostendit subscriptio, Emanuel scripsit hunc librum, manum Emanuelis (ut C. B. Hasius suspicabatur) Chrysolorae. Speciminis causa posui glossas, quae litteram Y complent.

Ἰπατία. Θέωνος τοῦ γεωμέτρου θυγάτηρ φιλόσοφος πολλοῖς γνώριμος ἐπὶ τῆς (sic) βασιλέως Ἀρκαδίου. ὑπόμνημα εἰς Διόφαντον τὸν ἀστρονομικὸν κανόνα. εἰς τὰ (desunt quaedam) Ἀπολλωνίου ὑπόμνημα. ὑπῆρχε κατὰ τὴν φύσιν γενναιοτέρα τοῦ πατρός, ἥτις

καὶ περιβαλλομένη τρίβωνα ὡς φιλόσοφος τοῖς βουλομένοις παρῆχεν ἀμισθὶ τὴν τῶν μαθημάτων σαφήνειαν καὶ διδασκαλίαν. πᾶν δὲ εἶδος ἐμπράκτου ἀρετῆς πρὸς τῷ διδασκαλικῷ κατορθώσασα, σωφρονεσιτάτη οὖσα παρθένος διετέλει, καὶ ταῦτα καλὴ τε οὖσα σφόδρα καὶ εὐειδής. τινὸς οὖν ποτε τῶν προσφοιτώντων ἐρασθέντος αὐτῆς καὶ μὴ δυναμένου κρατεῖν τοῦ ἔρωτος, αὕτη διδασκαλίαις πρότερον χρησαμένη πρὸς αὐτόν, ὕστερον προενεγκαμένη τι τῶν γυναικείων ἄκακων καὶ τὸ σύμβολον ἐπιδείξασα τῆς ἀκαθάρτου γενέσεως, τοῦτου ἔφη ἔρᾶς ᾧ ἰεανία. ὁ δὲ ὑπ' αἰσχύνῃς μετετρέπη τὴν ψυχὴν, καὶ διετρέπη πρὸς τὸ σωφρονέστερον.

Ἐπερέχιος. Ἀλεξανδρεὺς, γραμματικός, ἐπὶ τῶν χρόνων et quae sequuntur in editis.

Ἐπερίδης. υἱὸς Γλαυκίππου ῥήτορος, οἱ δὲ Πυθοκλέους, Ἀθηναῖος, ῥήτωρ τῶν ἀκεκριμένων δέκα εἰς, μαθητεύσας ἅμα Ἀνκούργῳ καὶ Πλάτωνι τῷ φιλοσόφῳ Ἰσοκράτει τῷ ῥήτορι. καὶ ἀπέβη μὲν — ἠττήθη (ut in editis). καὶ ἀνηρέθη δὲ αὐτὸς — ἔθαψε μνήμα (cum edd.). λόγοι τούτου ὄντες.

Nihil his inest quod repetitionem totius opusculi commendet. Sed tantam copiam hominibus curiosis Suidas offerebat, ut quaslibet inde particulas decerpere liberet. Velut glossam Ἰησοῦς, quam supra diximus a pluribus esse Latine versam, quamque Lambecius Comm. T. IV. p. 391. in Cod. Vindob. 166, 12. inventam tractat, in principio codicis miscelli Biblioth. Paris. Supplem. 64. in chartis formae quartae scripti deprehendi. Continet libellos cum alios theologorum et medicorum, tum Symeonis Seth syntagma de alimentorum qualitate utilitate damno. Ceterum pauca sunt in quibus narratio de Iesu discedat ab editis exemplis Suidae. Et haec quidem de historia lexicis.

CAPUT SECUNDUM.

DE PARTITIONE SUBSIDIIS AUCTORITATIBUS

LEXICI A SUIDA CONDITI.

Suidas cum thesaurum eruditionis Graecanicae pararet, opes suas ad captum et usum lectorum apposite secundum seriem elementorum ordinare debuit. Id quidem tunc minime novum ac ne Alexandrinis quidem grammaticis incognitum fuit, ut collectiones rerum et verborum indicesque litterati bibliothecarum ordinem alphabeticum sequerentur. Illud vero severius quam reliqui lexicorum opifices (vide Ritschelii Prolegg. in Thom. M. p. XV.) Suidas peregit, quod glossas singulas sub constantem ternarum vel quaternarum litterarum successionem vocat et ad rigorem exaequat, neque eas tanquam manipulos disciplinae militari subiectos patitur ordines suos tantisper migrare. Nam geographicum Stephani lexicon, quod genus commentarios notum est praeceteris ad legem elementariam astringi, minus admiramur pari diligentia concinnatum. Habuit tamen Suidas sibi praeceuntem Diogenianum: v. Rankium de lex. Hesych. p. 70. Ergo perturbatus glossarum ordo quaedam arguit ex marginibus alienam in sedem intrusa vel fraude lectorum ascripta, qui lexicon suum quibusvis accessionibus gestirent collocupletare. Huc errores accedunt initio glossarum vel in syllabis earum commisi: de quibus in capite tertio disseruimus. Sunt vero loci nonnulli, quos minus diligenter reposuit, suos fontes secutus: id quod factum in duabus glossis post v. Ὁ κάτωθεν νόμος a Photio traditis. Contra cum duas alteras Harpocratonis v. Ὑπὸ γῆν οἰχοῦντες accepisset, quasi legi satisfactorum partem posteriorem sub v. Ὑποκυδής repetiit. Frequenter sane haec alienae manus indicia iussimus observari, non raro tamen ut fit inter curas diversissimas serius ad istam rem attendimus aut plane nos ea fugit. Quamquam glossis hiantibus, modo cognatione quadam inter se vinciantur et eidem praecepto subiici possint, interdum succurrere licuit inserta καὶ vel δὲ particula, quam librarii temere negligunt vel inculcant. Ceterum saepius rectum et integrum ordinem servavit optimus liber A.

2. Sed haec litterarum lex et norma minorem habet insolentiam quam coniugatio vocalium finitimarum, sive ut clarius brevinsque dicam ordo litterarum ἀντίστοιχος. Eum vero nec librarii patienter tulerunt neque homines docti concoxere; quid quod nuper fuit qui voces ab $\bar{\omega}$ exordientes cum in consuetam sede frustra circumspexisset, eas tanquam per socordiam omissas nunciaret iuberetque postliminio reduci. Sed excusandus erat illius error, quoniam exempla vetera vulgarem ordinem quasi librorum iussu propagaverant ac ne Küsterus quidem dissensum optimi Parisini

commemoravit, quamvis ab *Henr. Valesio* *) admonitus. Omnium vero longissime processit *I. L. Schulzius*: qui cum glossas ordine non satis concinno dispositas esset conquestus, indignabundus vellicavit criticos, tantum iugum sibi imponi passos, ut turbatum vocum ordinem, cuius origo sine dubio repetenda sit ab ignorantia vel supina negligentia, superstitiose conservarent. Huius verba cum aliquem usum praebeant, infra posui **). Neque veri dissimile fuerit inusitatum et perplexum glossarum ordinem eo valuisse, ut multi qui raptim et minimo cum temporis dispendio Suidam adire vellent, non invenirent exoptatum aditum ab eoque deterrentur; itaque factum ut, qui studia suorum aequalium artificio novo conaretur iuvare, iaceret apud posteritatem ac nimia moliendo sibi ipse deesset. Sed huic et lectorum commodis Gaisfordus operoso secundum alphabeticam seriem recensu sive glossarum indice consuluit, qui in iusti libelli magnitudinem excrevit et ambitum lexici vastissimi possit in conspectu collocare. Nos tamen chartis parcendum rati tam prolixum indicem eo minus repeti nolumus, quod post Aldum, qui tabula quadam ab omnibus ante primordium Suidae renovata successiones litterarum descripsit, paucis monitis sic lectorem instruere licet et praeparare, quilibet ut locus nulla cum haesitatione, nedum horulae iactura statim queat indagari.

Ἀντιστοιχία vocalium sive societas ac permutatio sonorum affinium latissime dominatur in declinandis nominibus et verbis, in fabrica vocabulorum ad euphoniae legem exigenda, denique in campis pathologiae grammaticae spatiosissimis, eaque multum valet ad proprietatem vel licentiam dialectorum Graecarum probe perspiciendam. Huc igitur grammatici sagacissimi, quorum antesignanus fuit Herodianus, mentem intenderant, unde causas observationum de dictionibus poeticis figuratis solitariis explicarent. Satis vetustum huius studii testimonium inest Asclepiadis Myrleani verbis apud Athen. XI. p. 501. B. Nullus tamen interiores sympathiae et antipathiae rationes videtur universe praecepisse; quod ab illis omissum ne quis miretur, monendum est subtilissimam artem et intelligentiam huius disciplinae nostris demum temporibus e primariis linguis inter se comparatis effloruisse. Herodianus igitur initia tantum delibavit: de quo genere fuerunt opuscula *περὶ συντάξεως στοιχείων* (v. Lobeckii Paralipp. p. 30. Lehrs. in Musei Rhenani Novi T. II. p. 120.) et aliorum *περὶ ἀσυντάκτων ὀνομάτων* non dissimilia, neque diversum spectat librum Theognostus ab Cramero proditus, ubi *Ἡρωδιανὸς ἐν τῇ τάξει τῶν κδ' στοιχείων* p. 26. laudatur, infra p. 78. dictus *ἐν τῇ συντάξει τῶν στοιχείων*. Nam sefellit sola species Göttingium in Theodos. p. X. cum argutulam *Theodosii* disputationem (apud Bekkerum in Apoll. de Syntaxi p. 351. sqq.) de rationibus, cur singulae litterae hunc ordinem tenerent et invicem exciperent, ad Herodianum revocabat, de cuius prudentia par est melius existimare. Post huius autem tempora minor *ἀντιστοιχίας* cura haberi coepit, donec labes Graecae pronunciationis, quae neglectum et errores orthographiae traxit, Byzantinos magistros advertit. Tum illi regulis

*) In Ammiani Marcell. XXIII, 6, 63. In Lexico etiam Suidae MS. Bibl. Regiae ante litteram Y observari positum fuisse OI. quod tamen in editis minime observatur. In singulis quoque litteris is ordo servatur in edd. quoque vulgaribus Suidae, ut o ante litteram v proxime collocetur.

**) Schulzius in Specim. obs. in Suid. §. 3. Alphabeticus quidem ordo litterarum, ut in huius generis libris fieri solet, fundamentum partitionis est, adeo tamen variat, ut qui in Suida hospes est infinitas voces frustra quaesiverit. Non ipsae solum litterae, variato earum recepto ordine, liberrime dispositae sunt, sed etiam in serie glossarum unius eiusdemque litterae maxime arbitraria est vocum successiva combinatio. — Ecquis vero Suidam inspiciens in stuporem non abripitur, si litteram Θ post I, litteram Ω post O, diphthongum EI post litteram Z, et voces quae cum AI incipiunt, post litteram A demum invenerit? Nihil dicam de arbitraria et lectoribus molesta dispositione singularum vocum, quae sub unaquaque littera itidem ordine suo se excipere debuissent.

indefinitis et tabulis terminationum studia discentium regere conabantur, ut sonos affines sibi que respondentem ex artis praeceptis eleganter in eloquendo scribendoque distinguerent, imprimis autem librarii certam haberent normam, quam in propagandis litterarum sacrarum et gentilium exemplis observarent. Itaque valuit necessitas et usus vitae communis, non liberalis et otiosa sermonis Graeci contemplatio, ut locus grammaticus olim ab rudimentis scholasticis remotus in ludum introduceretur; neque iam causa latebit cur litteratores, qui pronunciationem emendatam unice spectarent, non totum huius doctrinae campum amplexi sint, in quo consonantium etiam ratio (velut cum ἀντιστοιχῆ τὰ δασεία τοῖς ψιλοῖς, ῥ ῑ, aut permutari quaedam dicuntur κατὰ ἀντιστοιχίαν τοῦ χ εἰς κ, Gregor. Cor. p. 485. Etym. M. vv. Θάσσοντας et Δοξός) constare debet, sed in vocalibus omni corruptioni obnoxii fere haeserint. Hinc pendet *Theognostus*, quem Cramerus in *Anecd. Oxon. Vol. II.* primus edidit, *continens* (ut *Bentleius* in *Ep. ad Millium p. 77.* memoraverat) *mille regulas de recta scribendi ratione, quarum XL. docent quando ᾱ scribere oporteat et quando ε̄, totidemque ubi ο̄ et ubi ῡ.* Tot autem canones libri, quem scriptor ad Imp. Leonem Armenium misit, si necessarii fuerunt ad evitandam sonorum perturbationem, merito *Villoisonus Anecd. Gr. T. II. p. 127.* colligit pravam istam pronunciationem saeculo nono, quo receptam videmus et inveteratam, etiam anteriorem fuisse. Huc *Theodosii* quoque caput ed. *Göttl. p. 66—79.* spectat, sed prae ceteris commentarius qui vanum nomen iactat, *Herodiani* qui fertur *Epimerismi*, quorum consilium *Boissonadus* non est assecutus. Vide vel nostram historiam litt. Graec. T. I. p. 622. Porro non desunt indiculi, qui doctrinam operosam in delectum brevem redegerint: ut (ne *Psellum* dicam in *Boissonadi Anecd. T. III.*) in *Bibliotheca Matritensi* (v. *Iriartis Codd. Matr. p. 271.*) latet *Τεχνολογία περὶ ἀντιστοιχῶν*, in *Laurentiana* (v. *Bandin. T. II. p. 570.*) *Ἑρμηνεία περὶ ἀντιστοιχῶν*. Tandem his tabulis et institutionibus effectum est ut quicumque rectam scribendi pronunciantive rationem sive in vocabulorum initio sive in terminationibus per partes orationis cognoscere vellet, celerrime doceretur et in transcurso leges etiam declinandae non spernendas secum auferret: velut quibus nominibus genitivus ᾠνος, quibus ὄνος conveniat vel ᾠ in commissura vocum compositarum.

Iam facilis et parata fuerit ad Suidam progressio. Hunc igitur apparet, quod praemunisse operae pretium erat, arbitrarias istas litterarum vices nec temere nec per incuriam dispensasse. Sed morem tunc receptum et scholasticis institutionibus tritum ille sequebatur, quem suspicor tanquam regulam alphabeti Byzantini tabulis etiam sive laterculis descriptum fuisse. *Suidas* tamen si minus primus, at certe nobis unus est, qui thesaurum sermonis Graeci doctrinaeque historicae secundum antistoechiam ordinaret et usu quotidiano quasi per lusum voluerit animis rectam scribendi rationem instillare. Cuius conatus imprimis admonet *I. A. Schmelleri*, qui legem antistoechiarum ad idiotismos dialecti Bavaricae traduxit eaque duce solus inter nostrates universam verborum familiam per omnes cognationis gradus atque varietates singulari solertia recensuit. Graecus vero lexicographus intra vocalium affinitatem substitit. Is copulavit ᾱ et ε̄, ε̄ ἢ ῑ, ὀ ᾠ, ο̄ ὕ, sic ut ᾱ ε̄ ὀ ο̄ eos praecedant sonos, quibuscum confundi solebant, eamque legem non solum in successionibus elementorum sed in singulis etiam litteris et constituenda serie glossarum conservat. Quam sicubi violari videmus (quamquam id rarissime factum), id praeter illius voluntatem evenit, et interdum suspicionem fraudis sive manus diversae movet. Ut inter *Δήετε* et *Δήεις*, *Δήια* quaeque recte sequuntur interpositae sunt *Δηθά*, *Δηθάκις*, *Δῆθεν*, *Δηθύνω*, item glossae *Δημοσθένης* ante *Δημοσιεύων* et cognatas, *Διδύραμβοδιδάσκαλοι* et finitimae ante *Διύναι* et reliquas rite dispositas; eandemque rationem in *Α* *Αῆθαργος* et eiusdem

societatis glossae ante *Αῖμα* et finitimas, in *Ο* sequuntur *Ὅθεν* cum similibus usque ad *Ὅθρονονεύς*, quas excipiunt *Ὅι* et continuatae. Similiter gl. *Ἐπαθαίνετο* et *Ἐπαθλον*, quibus facile caremus, antecedunt glossam *Ἐπαίειν*. Porro duplex glossa *Ἐδέα*, cum rectum *Ἰδέα* suo loco legatur, quia ab lectoribus sit invecta non dubitamus. Praeterea geminatae litterae, praesertim liquidae non curantur more temporum Byzantinorum: ut ad glossarum ordinem nihil referat, duplex an singula littera vocabulis insit. Defungamur unico exemplo, quod in re minime obscura sufficiat: recte sibi succedunt *Μαλιασμός*, *Μάλλιος*, *Μάλιστα*, *Μαλθακόν* —, *Μαλκίομεν* —, *Μάλλον*, *Μάλλονος*, *Μάλχος*, *Μαυμάκνθος*, *Μάμας* —, *Μάννα*, *Μαναίμ* et quae similiter conformata sequuntur *). His igitur praemissis apparet tam initio quam in mediis vocibus ordinem elementorum apud Suidam extare talem:

α. β. γ. δ. αι. ε. ζ. ει. η. ι. θ. κ. λ. μ. ν. ξ. ο. ω. π. ρ. σ. τ. οι. υ. φ. χ. ψ.

Inde facile colligitur, ut his utar, *Είκαία* et similia inter *Είκασμένος* et *Είκελος*, *Ἐλείας* et affines inter *Ἐλεψεν* et *Ἐλη*, *Τοιᾶσδε* quaeque a *τοῖ* exordiantur inter *Τρυχωθεῖς* et *Τύανα* esse quaerenda. Reliqua suppeditabit Aldi quam diximus tabula.

3. Post partitionem nihil ad cognoscendum fructuosius aut suavius quam conspectus subsidiorum et auctoritatum, quibus Suidas thesaurum suum extruxit et ornavit. Subsidiorum vero duplex fuit genus, alterum e lexicis scholiis collectionibus petitum, unde vocabula cum explicationibus (*λέξεις*) et lectissima parte testimoniorum delegit; alterum autem ad historiam sacram et profanam itemque historiam Graecorum litteratam spectabat. Medium quodammodo genus, sed ab subsidiis diversum efficiunt observationes et auctoritates, quas Suidas ex lectione plurimorum librorum coacervatas glossis aut receptis aut recens factis attribuit. Tantam eruditionis et industriae varietatem si quis obtutu continuo lustret, fatendum sane post Photium inter Byzantinos non extitisse, qui Suidam diligentia studiorum aut amore doctrinae liberalis aequaret. Itaque huius lectio vel silentium nobis eum praestat usum, ut qui scriptores tum celebrati fuerint vel neglecti, quae grammaticorum institutiones invaluerint, qui scholiastae temporibus illis in certum et absolutum corpus succreverint, notis manifestis intelligamus: nec facile horum omnium codex vetus et praestans invenitur, qui multis annis aetatem Suidae excedat. Nempe saeculum X. mira bibliothecas instruendi, scriptores antiquos excerptendi, compendia doctrinarum et florilegia fabricandi libido corripuerat, quam ingenium ut videtur Constantini Caesaris et obsequium aulae principalis inflammavit. Quo minus fortuitum haberi potest quod Suidas, noviciis collectionibus non mediocriter adiutus, in eandem societatem sarcinas antiquitatis colligendi venit. Apparet igitur studium et benefaciendi voluntas, non ingeniosa Graecarum artium facultas aut iudicium criticum et notandis scriptorum generibus subactum, quod hominibus Byzantinis omnino defuit; nec siquis, ut solebant post renatas litteras tot viri peritissimi, durius pronunciet a Suida *vitia codicum fideliter transcribi et collatis vel corrasis*

*) Iniuria hanc simplicitatem conquestus est *Schweighäuserus* in Opusc. T. II. p. 147. — in litterarum praesertim duplicandarum ratione (codicum fortasse culpa, quibus usus est) ita negligenter versatum Suidam videmus, ut, quanquam ad collocandos singulos lexicis sui articulos secundum litterarum seriem, quibus quodque constat vocabulum, summam curam adhibuit, duplicatarum tamen litterarum in serie articulorum nullam prorsus habuerit rationem. Ceterum extant in Etymologico M. levia quaedam glossarum ἀντιστοίχως dispositarum vestigia (ut quae ab *αἶ* exordiantur media sunt inter *αἰός* et *αἶω*, porro *ἀκραία* et *ἀκραυρή* post *ἀκράτη* leguntur, *ἀλειπής* et quae sequuntur usque ad *ἀλεισον* et *ἀλείτης* inter *ἀλειωρή* et *Ἀλήτης*, *ἀμείβω* cum similibus post *ἀμεύσιμον*); sed haec ad diphthongos fere redeunt nec multum valent in eo lexico, cuius ordines non ad rigorem aequabilis successionis sunt exacti.

undecunque laciniis centonem esse consarcinatum, his probris inest quod ad unum lexicographum pertineat. Nobis quidem satis est eius manu pretiosissimas opes non indiligenter servatas esse, neque prudentiam aut subtilitatem ultra captum istius saeculi requirimus; sed stuporem et ignorantiam sensus communis rerumque vulgarium nolumus temere inculcari, nisi forte paucos locos excipimus, in quibus ambigi licet utrum Suidas an lectores culpam sustineant. Huius igitur vindiciis plurimas annotationis partes destinavimus, quibus tanquam supplementum accedat harum quaestionum caput tertium; eodemque mentem advertant, qui in glossis evolvendis rudem et incertam materiam deprehenderint.

Iam videndum quibus subsidiis usus ille thesaurum suum Graeci sermonis sive congeriem λέξεων construxerit. Nam ipse fontes suos constanter silet nec philologorum modo, quem Etymologicum Magnum expressit, rariorem saltem observationum auctores edit grammaticos. Itaque nonnulli fidem eius desiderarunt, ut *Lipsius* (de militia Rom. IV, 10.), iniquus ille Suidae reprehensor: *Nam* (inquit) *et nomina fere suppressit, et intendere oportet, quid eius sit, quid alienum.* Sed qui commentarios et lexica superioris aetatis acervatim decerperent et exhaurirent, nolebant nec per angustias spatii poterant singulos ascribere decessores; ac plerumque satis visum eos in prooemio breviter indicari. At enim superesse videtur index virorum undecim, qui copias suas Suidae subministraverint, ab omnibus editoribus praemitti solitus*). Id tamen continuo apparet, quod unus non cepit Fabricius, sed ipsa clamant praescriptionis verba, non a Suida hanc tabulam auctorum esse profectam. Sequitur ut eam coniecturae hominis docti tribuamus; quamvis miremur hos solos appellari, neglectis pluribus et gravioribus subsidiis,

*) Per hanc opportunitatem placet primum scripturam codicum afferre, potissimum a Gaisfordo collectam. Paulo maius autem variat codex Matritensis apud Iriartem p. 83. Is in praescriptione, *Τὸ λεξικὸν τοῦ σοῦδα* (σοῦδα etiam B. σοῦδα D. F.) *συνέταξαν ἄνδρες πλείστοι σοφοί*: ubi F. *Βιβλίον λέξεων σοῦδα συνταχθῆν παρὰ διαφόρων σοφῶν ἀνδρῶν.* In Eudemi memoria A. *Εὐδήμου ῥήτορος.* In Helladii Matr. *Ἑλλάδιος ὁμοίως ὁ ἐπὶ Θεοδοσίου τοῦ νέου.* In Eugenio παμμιγῆ λέξιν κατὰ στοιχεῖον reliquit Gaisfordus, quae desunt Matr. ὁμοίως etiam D. In Zosimo ῥητορικαὶ F. *περὶ ῥητορικῶν λέξεων* Matr. In Caecillo *Κεκλίος* A. B. *Κεκίλλιος* (cum D. F.) *μειγαρεὺς σικελιώτης ἐκλογὰς λέξεων* x. st. Matr. In Longino *Λογγίνος δάσκιμος* (vel ὁ κάσιμος) ὁμοίως Matr. B. D. F. In Vestino ipsum *Ὀδηστίνος* ex A. dedit Gaisfordus, monens *Ἰουστίνος* in aliis codicibus extare. Post σοφιστῆς reliqua desunt Matr. Porro *βιβλίον — Πάκατος* om. B. D. F. In Pacato *Πάκατος* Matr. omissis *κατὰ στοιχεῖον*, cum B. D. F. quae post *Πάκατος* habet A. In Pamphilo *ποικίλων — πέντε* om. B. D. F. *περιοχῆν — πέντε* om. Matr. Sub finem *πεποιήκε* firmant B. D. F. Matr.

Ceterum *Valckenarius* p. 297. *Suidam ego quidem iudico nullum vidisse lexicorum, quae in fronte libri memorantur.* Id quidem ut arbitrarium mitto; quamquam non exputo cur Eugenium Helladium Vestinum, quorum nomina passim recurrunt, ab eo non visos credamus. Horum antiquissimus *Vestinus* (cuius integrum opus a Suida descriptum fuisse Maussacus Diss. crit. de Harpocr. p. 392. temere pronunciat) etsi raro commemoratur, extat tamen apud Basilium in Gregor. Naz. apud Boissonadum (*Notices et Extr. T. X. p. 233.*), *οὕτω Ἰουστίνος ὁ Ἀττικιστῆς.* Nam *Ὀδηστίνος* in *Ἰουστίνος* abisse supra monitum. Alterum tamen Scholium in eundem Gregor. Naz. quod primus edidit Montfauconus Diar. Ital. p. 214. cum tali subscriptione, *ἐκ τῶν Διογενιανοῦ τῆς ἐπιτομῆς τῶν Ὀδηστίνου Ἑλληνικῶν ὁδ,* ubi critici Batavi refinxerunt *Ὀδηστίνου*, num sincerum sit ambigi potest, cum eandem observationem praeter ullam ambiguitatem Schol. Il. ζ. 576. sic concludat: *ἐκ τῶν Δ. τῆς ἐπιτομῆς Ἑλληνικῶν ὀνομάτων.* Nam duplicem Pamphilii Epitomen, quam fecerint Diogenianus et Vestinus, iunctim proferri (v. Rank. de Hesych. p. 131.) non est verisimile. Memoriam autem Vestini celebravit inscriptio olim ad viam Ostiensem reperta (ap. Murator. p. 2033. in Corp. Inscr. Gr. n. 5900. cf. Letronium *Recherches p. servir à l'hist. de l'Egypte* p. 251.): *Ἀρχιερεὶ Ἀλεξανδρείας καὶ Αἰγύπτου πάσης Ἀεουλίῳ Ἰουλίῳ Ὀδηστίνῳ καὶ ἐπιστάτῃ τοῦ Μουσείου καὶ ἐπὶ τῶν ἐν Ῥώμῃ βιβλιοθηκῶν Ῥωμαϊκῶν τε καὶ Ἑλληνικῶν καὶ ἐπὶ τῆς παιδείας Ἀδριανοῦ ἐπιστολεῖ τοῦ αὐτοῦ ἀποκράτορος.* Unus post hos superest *Eudemus*, cuius lexicon Suidas sic collaudavit, ut usurpatum ab eo suspicaris. Sed quae hodie collectiones in bibliothecis sub Eudemi nomine feruntur (v. Ritschellii Prolegg. in Tho. M. pp. 78. sqq. et de Oro p. 78.), tam sunt ex illa cumque reliquiis aliorum conspirant, ut *Valckenarii* iudicium non possint refutare. Neque *Küstero* satisfecerunt, qui quicquid lexicorum sub Eudemi nomine repererat, ea *ψευδεπίγραφα* vocet, hoc est, expectatione minora.

a quibus Suidam profecisse constat. Iure enim Valckenarius mirabatur Pamphili quidem lexicon laboriosum simul cum Pamphili Epitome ab Vestino facta commemorari, Harpocratonis autem quem Suidas adhibuerit nullam fieri mentionem; nedum ut pater istius indicis suspicatus sit huic alias inesse partes praeclaras, quas a nullo tot lexicographorum potuerit derivare. Verum ne coniecturam quidem semidocti hominis agnoscere licet, sed otiosus lector ex ipsius Suidae glossis, quibus memoria lexicographorum continetur, mutatis vocibus opellam suam confecit totam, neque tamen ad finem adduxit qualemcunque. Quid quod parum perite non modo Caecilium arripuit, qui delectum vocum Atticarum composuerat, et Longini λέξεις paucis lectas, sed Pamphili notitiam perverse compilavit duplicemque titulum in unum conflavit, Π. λειμῶνα λέξεων ποικίλων, περιοχὴν βιβλίων ἐνεπήχοντα πέντε (sub Vestini nomine ἐ. ἐνός, i. e. ut Hemsterhusius vidit, ἐ. ἐ.). ἔστι δὲ — πεποίηκε. At Suidas distincte, ἔγραψε Λειμῶνα· ἔστι δὲ ποικίλων περιοχῆ. Περὶ γλωσσῶν, ἦτοι λέξεων βιβλία ἐ. πέντε κτλ. Non fugit indicis origo Valckenarium, qui digressionem IV. in Theocr. Adoniaz. p. 295—299. prudenter eum disceptavit. Sed ut iusto calidius ille fraudes et clandestina furta suspicari solebat, ita malum indiculum ad mangonem nescio quem revocat, id scilicet spectantem, ut speciosa fronte libri, quem descripsisset vel describendum curasset, emptores alliceret. Huic quidem assensum praebuit Ruhnkenius de Longino p. 343. Opusc. T. I. p. 524. Miretur sane quispiam indiculum grammaticorum, qui copias Suidae suppeditassent (huc enim redit formula satis perplexa, οἱ δὲ συνταξάμενοι τοῦτο ἄνδρες σοφοί), mangonio fingi debuisse; nam quotusquisque Byzantinorum hominum obscura nomina rescit aut curavit? mitto tamen rem levioris momenti. Sed vir sagacissimus, ut erat sui iuris et in litteris Graecis ab omni superstitione vacuus, processit longius ac scriptorem indiculi, quippe magistellum aetatis infimae, contendit etiam mendacem Epistolam ad Eulogium, quae Hesychio praefigitur, vel fabricasse vel a sodali quodam editam legisse. Nempe Diogenianum illic laudari, quem index Suidae praemissus silentio premat. Acumen hercle Valckenarianum agnoscis: ego vero fraudis ne levissimam quidem umbram inveni. Quodsi verum par est fateri, neutrius opusculi manus ad falsarium, ut Valckenario videbatur, ac nebulonem redit. Repugnabit etiam, qui difficillimam de lexi Hesychiani origine quaestionem diligenter inchoavit, C. F. Rankius; quamquam professionem illius Epistolae cum eo Hesychio, quem hodie versamus, concordare non est demonstratum. Nobis interim nostrum opus tueri sufficit, postquam intelleximus laterculum istud, quod Suidae satis mature praemunitum est, nullius usus aut auctoritatis esse.

4. Praevertamur ad subsidia lexicorum, quibus Suidas glossaria debet cum explanationibus et testibus exquisitis. Is in delectu materiae eam fere rationem excoluit, quam Diogenianus epitome Pamphili confecta saeculis otiosis monstraverat. Recte breviter Pearsonus Adversariis Hesych. p. VIII. *Ante Diogenianum nemo generale lexicon confecit. Diogenianus voces ex Homero, comicis, tragicis, lyricis, rhetoribus, medicis, historicis collectas κατὰ στοιχεῖον disposuit, adeoque et veterum et sui temporis vocabula simul iunxit, et proverbia etiam inseruit.* Deinde plurimum valere studia sophistica, cumque flores poetarum et Atticae dictionis tam in scholis et auditoriis quam in libris eleganter compositis iactarentur, certatim grammaticorum vocabula, formulas, antiquitates rerum Atticarum et quicquid pigmentorum orationis figuratae superesset in apparatus sophisticos et lexica rhetorica redegerunt. Satis est illorum laborum recensum e Photii Biblioth. Cod. 145—158. peti: qui quod animadvertit conflatis Aelii Dionysii et Pausaniae lexicis pulcherrimum utilissimumque praesidium studiosis

litterarum Atticarum paratum iri, huic consilio celerrime sic est satisfactum, ut doctae superioris aetatis collectiones evanescerent. Iam ignavia temporum Byzantinorum gliscente tot tantaque contentiones in epitomas vergebant ac minus ampla sufficiebant promptuaria, postquam nec singulis scriptoribus classicis priva lexica sive glossaria destinabantur et imitatio sermonis Attici prorsus exaruerat. Itaque sophisticos apparatus cum lexicis rhetoricis, rhetorica cum lexicis poetarum et commentariis coaluisse videmus, nec mirum quod Suidas, monumentis reconditae philologiae plurimis interceptis, non ὑπομνήματα profert, sed magnam partem eruditionis e scholiis sive marginibus auctorum depromere solet. Tandem etiam integra lexicographorum opuscula perierunt aut pristinam formam amiserunt, eoque paulatim res evasit, non ut breviata vel mutilata numerentur et observationi commendentur, sed ut annotetur si quod lexicon malignas manus effugit. Quodsi hanc communem sortem recordamur, prae ceteris idem Suidas nostram movet admirationem, cuius molem nimiam tantum afuit ut epitomatores imminuerent, ut lectores novis potius auctibus exaggerarent. At Etymologicon Magnum quod artes grammaticorum, glossaria et lexica rhetorica consumpsit plura, similem sortem dissimili cum eventu videmus expertum esse: multorum enim industria sic veterem eius mutavit habitum, ut tot symbolas atque varietates non iam liceat constanter unum ad rigorem revocare. Porro doctam antiquae grammaticae hereditatem cum omnes nullo sudore tanquam communia bona distraherent, per manus transditam eam magistri magistellique propagabant, oblitteratis fere temporum notis; nec siqui splendidos testes et observationes minime vulgares ostentant, ipsos fontes et principes litterarum quisquam sibi persuaserit etiamtum aditos fuisse. Velut Eudemus, quem supra memoravimus, quoniam plerumque cum eo libello qui *Λέξεις χρήσιμοι* inscribitur communes habet glossas auctoritates fragmenta locorum, multum fallatur qui de hominis aetate doctrinaque (v. Ritschel. de Oro p. 79.) inde velit existimare. Quamobrem malumus opibus utiliter servatis quam incertis nominibus confidere forte casuque praemunitis. Sed in hoc quasi prooemio quaestionis nostrae subsistamus: non enim historiam lexicorum enarrare libet, sed condicionem et gradus laborum significare, quibus cognitio de Suida recte poterit iudicari. Nam qui notitiam huius generis uberiores consequi volet, cum iuvabunt diligentissima *Meieri* prooemia duo in academia Halensi vulgata a. 1842. 1843.

Quodsi Suidae fontes ad eos revocamus auctores, qui aetatem tulerunt vel probabili coniectura firmantur, horum gravissimos iam Valckenarius recensuit in Adoniaz. p. 297. Nominavit enim Photium et Harpocratonem, aliud simile lexicon rhetoricum minime contemnendum, item (ut illius vocibus utar) perinsigne quoddam opusculum veteris Atticistae, ex quo nobis unus omnium egregia, fragmenta quoque comoediarum, per lexicon illud grande sparsa, conservavit; porro Ruhkenius eum docuit e Phrynichi Apparatu nonnulla fluxisse; tandem e Zonara (quod in cap. I, 4. refutavimus) partem coniecit esse descriptam. Brevem indicem his absolvit: *Ab his paucis diversa Suidam istius generis lexica adhibuisse vix opinor.* Hactenus ille scienter, nisi quod vana specie deceptus Atticistis locum concessit. Eundem errorem prodidit etiam Piersonus, nobilissimus Valckenarii discipulus, in Moer. p. 17. *Huiusmodi generis observationes e veteribus Atticistis derivatae apud Suidam sunt plurimae. — Huiusmodi glossae ubique per totum opus veluti totidem gemmulae dispersae sunt.* At Suidas, quoniam iis temporibus interfuit, quibus studia leporis Attici deferbuerant nec formulae selectae quaerebantur, non aliis utitur Atticistarum praeceptis et artibus nisi quas e lexicis rhetoricis et multiplici

congerie λέξεων χρησίμων forte derivarat. Tunc enim diversissimae lexicorum opes unum in locum contrahi solebant, interdum etiam eodem volumine iungebantur; de quo genere celeberrimus est codex Coislinianus 345. Saec. X. qui solus pretiosissimum eruditionis Graecae thesaurum custodivit. Codicem illum sive gemellum cum Suidas tractaverit et in suos usus traduxerit, placet eius argumenta summam in conspectu collocare. Continentur autem 1. Apollonii Lex. Homericum. 2. Phrynichi Apparatus sophisticus in eclogas discerptus. 3. *Συναγωγή λέξεων χρησίμων*. 4. Timaei Lexicon. 5. Antiatticistes. 6. Glossae Herodoteae. 7. Moeris. 8. Lexicon Rhetoricum in Bekkeri Anecd. T. I. p. 181—318. editum. 9. *Λέξεις* ad libros Vet. Test. et Acta App. spectantes. 10. Tabula Paschalis. 11. *Λέξεις Ανκόφρονος* cum antiquissima poetae recensione. 12. *Λεξικὸν τῆς γραμματικῆς*. 13. Lexicon de Syntaxi a Bekkero proditum. Codex absolvitur libellis grammaticis, quos Bachmannus in Anecd. T. II. recepit. Horum vero 3. 4. 6. Suidas totos, 8. partim usurpavit. Nam a Phrynicho, quod Ruhnkenius contendit, nihil profecit, sed si qua habet uterque communia, fluxerunt ab epitoma quadam. Eadem observatio cadit in Lexicon de Syntaxi. Quodsi summam colligimus, lexicis usus est Harpocratonis, Photii, Timaei, Lexico Rhetorico, Glossis sacris et aliis paucis; plura tamen Scholiis debet poetarum copiosissimis. Contra lexicis de structura verborum abstinuit: quorum etsi vestigia non leviter impressa hodieque cernuntur, demonstrabimus tamen in cap. III. quicquid syntaxin Graecam sapiat ab interpolatione repetendum esse. Porro vix monendum est Suidam fontes suos fideliter ac sine mendorum vel erroris suspitione descripsisse. Quod neque novum est nec tam inusitatum, ut in huius unius lexi conditionem cadat. Nam iusto iniquius pronunciat Ruhnkenius Epp. Critt. p. 180. *Nullus autem grammaticorum, si Hesychium excipias, Suida vel crebrius a librariis deceptus est vel turpius.*

5. Harpocratonem igitur, ut ab hoc exordiar, Suidas non integrum legit, sed epitomen eam cum Photio sequitur, quam liber Palatinus praestat. Epitomen autem minus proprie dicitant id exemplar lexicographi, quod testimonia solet compendifacere vel imminuta supellectile docta, praesertim memoria singulorum librorum, mutat explicationes ac totam orationem extenuat et popularem in habitum convertit. Ac ne longius abeam, specimen esto primum gl. *Ἀγραφίου*.

Harpocr. vulg. *Ἀγραφίου*. εἶδος τι δίκης οὐ-
τω καλουμένης κατὰ τῶν δφει-
λόντων μὲν τῷ δημοσίῳ καὶ
διὰ τοῦτο ἐγγραφέντων, εἴτα
πρὶν ἐκτίσαι ἐξαλειφθέντων.
διδάσκουσι δὲ τοῦθ' οὕτως
ἔχειν Δημοσθένους τε καὶ Δεί-
ναρχος ἐν τῷ κατὰ Θεοκρίνου
καὶ Λυκοῦργος ἐν τῷ κατ'
Ἀριστογείτονος, ἐτι τε Πυ-
θέας ἐν τῇ πρὸς τὴν ἐνδειξιν
ἀπολογία.

Harpocr. Pal. et Suid. *Ἀγρ.* εἶδος δίκης κατὰ τῶν
δφειλόντων μὲν τῷ δημο-
σίῳ καὶ διὰ τοῦτο ἐγγρα-
φέντων, πρὶν δὲ ἐκτίσαι
ἐξαλειφθέντων. οὕτω Δη-
μοσθένους καὶ Δείναρχος καὶ
Λυκοῦργος.

Aliam faciem multa praebent exempla, quorum instar sit membrum gl. *Ἀκή*: ἦν οἱ μὲν τὴν νῦν *Πτολεμαΐδα* καλουμένην οὕτω πάλαι φασὶν ὀνομάζεσθαι. *Δημήτριος* δὲ οὐ τὴν πόλιν ἀλλὰ

τὴν ταύτης ἀκρόπολιν. Sic Pal. et Suidas; at reliqui Harp. libri: ἦν Νικάνωρ ὁ περὶ μετονομασιῶν γεγραφὼς καὶ Καλλίμαχος ἐν τοῖς ὑπομνήμασι τὴν νῦν Πτολεμαίδα καλουμένην φασὶν εἶναι. Δημήτριος δὲ ἰδίως τὴν ἀκρόπολιν τῆς Πτολεμαίδος πρότερον Ἀκὴν ὀνομάσθαι φησίν. Rarius autem epitomes auctor eam brevitatem affectat, quam ostendit gl. Ἀγνίας, ubi nihil reliquit praeterquam ὄνομα κύριον. Rursus nullum is de suo dedit additamentum: nam quae bis recurrunt gl. Ἀεισιτώ et Αεισιτώ subtexta vulgatisque Harp. exemplis adiuncta, ἡ λέξις Διογενειανοῦ (vel similiter conformata) ἐν Ἀληθείας δευτέρω, ea neque codices Harpocratonis agnoscunt et apud Suidam in suspicionem vel hoc nomine debent adduci, quod Diogenianum ille nusquam laudavit. In Harpocratonem tamen olim ex Suida glossae copiosae vel leviores immigraverant, quas Bekkerus tacite sustulit; itaque colorem et vim interpolationum nemo perspexerit nisi collatis priorum criticorum exemplaribus. Rem breviter in v. Πόριος observat H. Valesius in notas Maussaci p. 322. confirmavitque Porsonus in Aristophanicis Dobraei p. 19. Ex Suida interpolatus est Harpocraton v. ἐπιτροπή. φασκώλιον. προπεπωκότες. πρυτάνεις. Idem Porsonus paulo crassiorem fraudem in v. Γναφεύς animadvertit, cui partem tantum suggesserit Suidas. Ceterum hic paucas Harpocratonis glossas sprexit, ut v. Ξυστίς, quam Photius descripsit.

Photius autem et Lexicon Rhetoricum a Bekkero Bachmannoque evulgatum thesauros formularum ac rerum Atticarum praebuerunt, quos Suidas libenter cum pulvisculo, hoc est, cum mendis codicis utriusque haud exiguis in scrinia sua derivavit. His et observationes lectissimas debet, quibus publicae Graecorum antiquitates illustrantur, additis proverbiorum et comicae dictionis luminibus, et recondita poetarum Atticorum fragmenta, quae philologos oblectant et ingenia criticorum aluerunt. Itaque Suidas olim tanquam procurator ditissimus merito suo colebatur, cum neutrius lexicī copia doctis esset facta; nunc autem etsi gratiam novitatis amisit, dignitatis tamen partem retinebit, quoniam dimidium fere Photiani codicis intercidit. Ceterum Photius quod elegantiss et antiquitatibus Atticorum, quorum castam orationem neque expressit nec magnopere dilexit, tantam impendit diligentiam, nemo miretur, qui lectionem assiduam ab viro negotiosissimo cum intenta locutionum et figurarum observatione iunctam ex eius Bibliotheca cognoverit. Quam in rem satis est memorari iudicia de lexicis et opusculis Atticistarum, eclogas rhetoricas ex Aristide Himerio Damascio congestas (ut quae sub inscriptione p. 349. extant, ὅσα παρῆται χρεῶν ταῖς ἐκλογαῖς συντετάχθαι καλλιπέριαν ἔχοντα), porro disputationes de verborum usu vel auctoritate, quae continentur Epist. 156. et Quaestionibus ad Amphiloichium XXI. (ab A. Maio in Collect. Auct. Vatic. T. I. editis) ubi Lexicon suum p. 234. significat. Assumpsit vero cum aliorum collectiones, tum Epitomen Harpocratonis et copiosissimum illud Lexicon Rhetoricum. Haec igitur subsidia cum Suida collata nihil fere nisi apographa eiusdem operis repraesentant.

Minoribus etiam lexicis, inprimis Glossis variorum generum Suidas usus est. De quibus brevis sufficet narratio, neque habet haec litterarum pars in quo diutius moremur. Extant igitur in codice Coisliniano quem supra memoravi Glossae Herodoteae, secundum ordinem librorum novem dispositae, sane tenues et quae rarius interpretem possint iuvare. Recepit tamen universas fere, nec sine mendis et erroribus, Suidas (quod ab eo mirere factum, qui Herodotum ipse lectitarit et frequenter in usum vocet), non paucas suscepit Timaei lexicon. Notavit quaedam a Suida commissa Wesselingius Diss. Herod. c. 5. cuius adeundus commentariolus cum additamentis Schweighäuseri sub finem Tomi VI. Iam etsi multa temere corrasit, dubito tamen Suidae duplex

peccatum sub $\nu\nu$. Ζώνη et Σκέπη assignare, quas ille per confusionem explicationis cum lemmate arguitur finxisse. Ceterum expendenti glossas paulo doctiores I, 85. (ubi Diogenianus appellatur) III, 156. ex vetustis lexicis derivatas, item ut eas quae fide nulla sub librum IX. coguntur aut ad suas sedes nequeunt referri, vix credibile videbitur syllogen tam exilem certum et absolutum glossarii corpus effecisse.

Maioris sunt ambitus glossae sacrae, quas dicunt, ad intelligentiam utriusque Testamenti collectae. Iam nobis otium fecisset liber *I. Chr. G. Ernestii* (Suidae et Phavorini glossae sacrae Graecae — congegit et illustr. Lips. 1786. pp. 179.), quem post Epistolam de Suidae usu ad crisis et interpretationem librorum sacrorum, L. 1785. ediderat, si sedulitatem et profluentiam verborum iudicio prudenter temperasset. At neque materiam ille probe definierat, ut ratum haberet quid esset glossa sacra, nec fontes agnovit aut distinxit unde Suidas hauserat (nempe Hesychium etiam ab eo fuisse compilatum affirmat), et glossas suas sacras, quarum umbram captat levissimam, ex serie litterarum enumerat, cum deberet libris S. Scripturae singulas pro diversitate fontium aggregare. Hinc opusculum prodiit iusto grandius et raro profuturum. Nec maiorem attulit usum *I. Fr. Schleusnerus*, particulis duabus Auctarii Observationum in Suidam et Hesychium et alios lexicographos Graecos, ratione maxime habita glossarum sacrarum, Viteb. 1809. 1810. 4. Longe maiorem vero fructum ab eiusdem opera percipient theologi, qui glossas Suidae aliorumque lexicorum in Schleusneri Thesauris utriusque Testamenti collectas et inter se comparatas voluerint usurpare. Sed ut negotio nostro brevissime defungamur, Suidas cum neque Hebraicum teneret sermonem nec Novi Testamenti sensus ultra vulgarem interpretum captum assequeretur aut ad interiores theologiae recessus aspirasset, subsidia variorum conquisivit, quibus penuriam suam solaretur ac desideria mediocrium lectorum expleret. Primum igitur historiam quam ferunt biblicam selectis potius narrationibus, quarum lineamenta cum de Graecis interpretibus Veteris Testamenti, de Iosepho, chronicis Byzantinis similibusque rivulis traxit, tum interdum mysticis allegoricis apocryphis nugis et commentis diversarum aetatum (vide specimina prae ceteris luculenta Ἀβραάμ, Ἀδάμ, Ἰησοῦς, Ἰώβ) tanquam nobili sapore infecit, quam plenis et continuis capitibus adumbravit. Deinde non dissimili consilio locos obscuros et controversos Scripturae, quorum oratio recedit a consuetudine vulgari, per glossas sic dispertiit, ut inprimis Psalmos, Euangelia et Paulum Apostolum respiceret. Aderant autem glossaria quaedam minora, quorum nec doctrina neque verborum ambages molestiam crearent: ut illud *Io. Albertii* cura non spernenda proditum, cuius libellus sic inscriptus est, *Glossarium Graecum in sacros N. F. libros. Ed. Io. Alberti. Accedunt eiusdem Miscellanea critica in glossas nomicas, Suidam, Hesychium. LB. 1735.* Alterum glossarium non melioris notae continetur glossis Hesychii sacris, quas omnes esse spurias et opera lectorum adventicia in Hesychium insertas praeclare demonstrat *Bentleius* Epistolaram a Burneio vulgatarum 69. Sed recte fecit Suidas, quod opes eruditorum interpretum ieiunis istis explicationibus adiunxit. Nemini vero tantum debet quantum Theodoro, quem celato nomine pro viribus descripsit et glossis Psalmorum explanandis libenter accommodavit: si quis enim nostrum Indicem Auctorum sub $\nu\nu$. Ἀπόστολος, Γραφή, Εὐαγγέλιον, Θεοδώρητος contempletur, intelliget quod verum est, reliquas Sacrae Scripturae partes praeter Psalmos ab eo strictim contractari. His tandem finibus operam suam continuit lexicographus; novas autem glossas lectores inculcarunt, a quibus alias identidem sub variis lemmatis repetitas fuisse consensus codicum ostendit.

Glossas nomicas sive publici iuris paucas animadvertimus easque sic comparatas, ut appareat Suidam omni tam sermonis Latini quam antiquitatum Romanarum et actionum legitimarum scientia caruisse. Quo minus admirandum vocabulorum etiam portenta recurrere, quae non modo rudem et in Latinis plane infantem (ut cum Montacutio loquamur) arguant, sed quamlibet etiam medelam aut explicationem aspernentur. Velut *Ἰνγρουσία* vix divinando potuit expediri; nam perversas notationes, in quibus Graeculi mire sibi placuerunt (v. *Κῆρσος* — *παρὰ τὸ καίνω τὸ κόπτω*), facile toleramus. Sed utcumque haec deformata sunt, fluxerunt a traditis collectionibus (unde repetenda quoque gl. *Πραίφεκτοι*, quamvis antiquitus e Polybio manaverit), ac sufficit istam Suidae partem cum *Labbaei* Glossis verborum iuris comparari, quae Glossariis ab eo congestis Lutet. 1679. adhaerent.

Novissimum in Glossis locum obtineat Timaeus: quem verbo praetermissem, nisi viri primarii non levis error mentione dignus esset. Etenim glossas Timaei plerasque Suidas recepit, *celato semper nomine*, quod Ruhnkenius p. 113. factum incusat, tanquam ille reliquorum fontium nomina soleret annumerare. Sed invenerat Timaeum in ea lexicorum sylloge, quam codice Coisliniano custoditam supra (4.) monuimus a Suida esse usurpatam. Huic igitur partim glossas Platonicas refert acceptas, partim observationes quae Herodotum et antiquitates Graecas illustrant. At quis credat scriptorem Platonis studiosum adeo fuisse temerarium, ut in exiguum libellum, quem Photius *βραχὺ πονημάτιον* dixit, argumentum alienissimum pertraheret neque cum formulis Atticis coniunctum? aut rebus e materia dissimili petitis interpolatorem nescio quem praeposterum, quae Ruhnkenii fuit sententia, stulte abusum esse? atqui glossae istius generis centenarium paene numerum implent. Longius tamen in hac quaestione procedendum erit, quam vir ingeniosus sicco pede praeteriit. Epitomen enim ille nos tenere pronunciat; ac debuit fortasse liber olim amplior ab aliis ad hanc breviter redactus videri, si *Wytttenbachius* vere narrat, lexicon breve quidem esse dictionum rariorum et exquisitarum, quae grammaticae explicentur, nullo cum eruditionis apparatu, accurate tamen et diligenter, utiliter item cum ad multorum locorum intelligentiam aperiendam, tum ad veram lectionem constituendam. Hem voces suaves et honorificas! in quibus praeter solam veritatem nihil desideres. Nec multis verbis opus, cum hodie nemo speret e Timaeo fructum ad Platonis intelligentiam aut emendationem sese percepturum. Immo per-paucae insunt glossae Platonicae, longe plures autem e communibus lexicis haustae, quales sunt, *Ἄγαμαι. ἀποδέχομαι, θαυμάζω ἄγαν. Ἀλαζών. ψευδής. Ἀντικρύ. κατευθύ, ἐπ' εὐθείας. Ἀτάρ. σύνδεσμος ἀντὶ τοῦ δή. Γενναῖος. ὁ εὖ γεγονώς. Διθύραμβος. ὕμνος εἰς Διόνυσον. Ἕκιστα. οὐ πάνυ. Νώ. ἡμεῖς, et, ut unum locum addamus, Οὐχ ἧκιστα. πάνυ, quibus homo semidoctus Porphyrium testem ascripsit. Haecine per interpolationem admixta putabimus? aut Graecis Romanisque tam inaudita, ut lexicographus in usum sodalis ea colligere debuerit et explicare? sic enim praefatur: *ἐξέλεξα τὰ παρὰ τῷ Φιλοσόφῳ γλωσσηματικῶς ἢ κατὰ συνήθειαν Ἀττικὴν εἰρημένα, οὐχ ὑμῖν μόνοις τοῖς Ῥωμαίοις ὄντα ἀσαφῆ, ἀλλὰ καὶ τῶν Ἑλλήνων τοῖς πλείστοις.* Enimvero parum huic professioni cum delectu glossarum convenit, adeoque verendum ne, quod in Hesychio videmus usu venire, idem in Epistolam cadat operi dissentientem. Nempe huius fundus sine dubio pendet e lexico quodam Platónico, nec quicquam subest observationis rarae, quin id in Scholiis Platonicis recurrat. Sed illa cum modici essent voluminis, postea cum variis glossis et floribus lexicī rhetorici coepta sunt conflari, donec haec opusculi facies provenit. Igitur glossarum lemmata, quamvis vox apud Platonem extet, non ubique licet ad huius*

auctoritatem revocare: velut Ἐρρε. φθείρου, ἀπαλλάττου. Apparet iam satis bene se habere codicis inscriptionem, quae Ruhkenio displicuit, Τιμαίου σοφιστοῦ ἐκ τῶν τοῦ Πλάτωνος λέξεων. Et haec quidem de lexicis a Suida descriptis.

6. Brevius Scholia designare licebit, quibus ille vicem glossariorum sive ὑπομνημάτων (v. supra 4.) usus est. Hinc glossas selectas poetarum et historicorum decerpit, quarum explicationem lectores requirebant, easque nube scholiorum quasi commentariis in epitomen coactis circumdare solet. Sic desideriiis hominum Byzantinorum, qui nullas opes nisi parabiles et commode structas admitterent, satis prospectum videbatur. Itaque scholia, hoc est, silvam inconditam ac multis saeculis aggestam, ut invenerat, Suidas bona fide repetiit, nec raro digitos magis quam iudicium secutus plura describit quam lemma locique interpretatio poscit. Velut (nam levissimum exemplum instar aliorum sit) in v. Ἀναξία cum Sophoclis ἀλλ' ἀπερεί τις ἔποικος ἀναξία οἰκονομῶ δόμους πατρός, plura contineat explicatione digna, non substitit in praescriptione ἀναξία, sed adiungit etiam quae spectent ad ἔποικος et οἰκονομῶ, universamque sententiam infra sub v. Οἰκονομῶ pertractat. Adde v. Πάροινος. Quamquam haud exiguus glossarum est numerus, in quibus scholion eruditum ac diffusum ultra necessitatem finesque concessos adeo recoquitur, ut supervacuae partes ad lectorum industriam revocari debeant. Nam quicquid eruditae frugis in scholiis animadversum esset, id in hunc thesaurum cupide traductum fuisse cum alia docent specimina, tum observatio mire detorta sub v. Ἐξ ἀμάξης. Ceterum quod Suidas aliis scholiorum corporibus diligenter, aliis negligentius utitur aut ea prorsus ignorat, id ipsum nobis significat, quae collectiones tum viguerint quaeque nec fuerint consummatae neque consuetudine vulgi celebratae.

Sed nullis commentariis Suidas tantum tribuit quantum Scholiis in Aristophanem. Horum enim magnam et exquisitam partem per totum opus diffudit, eaque multiplicavit etiam industria lectorum, qui particulas copiosissimi cuiusque scholii varias in glossas derivare solent vel glossis singulis tanquam auctarium apponunt. Numerum autem tot scholiorum si cui libet computare vel cum ceteris accessionibus Suidae conferre, satisfaciet Index Auctorum, ubi recensio locorum ex Aristophane laudatorum duas ferme plagulas typis minutissimis implet. Itaque haud fallitur qui Suidam opinetur in poeta comico quasi deliciis litterarum Graecarum oculos defixisse, cum eoque studiose reliquias veterum interpretum coniunxisse. Quibus cum tantum spatii concesserit, ut quodammodo novus interpres inde colligi possit, cumque Scholiis Aldinis observationes immixtae legerentur, quae manifestam proderent interpolationem: non miramur olim (v. Maussaci diss. de Harpocr. p. 396. et A. Schotti praef. in Suid. Prov. p. 329.) debitum fuisse, *utrum Suidas ab hodierno Scholiaste Aristophanis an vero Scholiastes a Suida sua mutuatus sit.* Verba sunt Küsteri praef. p. III. qui fraudes sane quasdam ab editoribus Scholiorum admissas (cf. annot. in v. Αἰωπος gl. 3.) agnovit, nec potuit tamen Musuri temeritatem divinare, quem recensio Dindorfii plane demonstrat multos et longissimos locos (v. Dindorf. p. VIII. et in Addendis) e Suida traduxisse. Perspexit autem Küsterus lexicographum suum plenius atque castigatius Scholiorum exemplar usurpasse; sed ut laborem ille molestum refugiebat, nec scripturae discrepantiam e Scholiis diligenter enotavit neque horum emendationi, cum Aristophanem curabat, utilissimas Suidae copias admovit. Primus eas in Scholiis Pluti Hemsterhusius sedulo comparavit, adhibito libro Leidensi; deinde praeceptoris vestigia secutus haud semel (Diatr. in Eurip. pp. 49. 204. in Adoniaz. p. 297.) monuit Valcke-

narius apud Suidam cum alias partes largiores extare, tum vetera in Thesmophoriazusas Scholia, quae tum desiderabantur, ex eo colligi posse. Tandem beneficio *Guil. Dindorfii* purum et locupletissimum Scholiorum corpus nobis contigit, quali homines Byzantini multis saeculis ad Comnenos usque utebantur. Idem etiam Suidae affuit, cuius rei saltem admonet Σχο. praefixum in *v. Βληχωνία*, nec dubitare patitur utriusque comparatio quin illis temporibus haec ipsa commentariorum Aristophanicorum facies tanquam perfecta valuerit. Nam in *Lysistratam* et *Thesmophoriazusas*, ubi Scholia rarescunt et extenuantur, nihil obtulit Ravennas amplius quin id apud Suidam inveniatur. Is enim cum primariis codicibus, Ravennati et Veneto, sic conspirat et Scholiorum nunc scripturam emendatam nunc partes recens editas vel auctas confirmat, ut merito tertii codicis loco habeatur. In quo non minimi est momenti, quod quae seorsim aut Ravennas servat aut Venetus, ea confertim prodit et verbis tradit uberrimis. Sed dispar illius extitit opera, cumque Scholia copiosissima praestet in Pace, propemodum deficit in Vespis, ubi plurimae Musuri fraudes deprehenduntur e solo lexicographo ascitae. Neque vero Suidam exhaustit editor aut utriusque codicis consensus tam inutilem reddit, ut non solerter adhibitus etiamnum meliores praebeat lectiones et accessiones qualiscunque pretii (ut in *v. Εύρωτιῶν*) aut plurimum ad restituendam membrorum iuncturam conferat. Serius autem et confectis aliquot fasciculis (*v. supra p. XXII.*) exemplar *Dindorfianum* ad nos accessit; sed ut chartis et tempori parceretur, non libuit Addenda spicilegiis parum commodis onerare.

Similis est condicio Scholiorum in *Sophoclem*. Horum enim Suidas ut interpretum Comici plenissimam descripsit collectionem, hoc est, eam quam unus liber Florentinus custodivit. Iam post *Aristophanem* nullum ille poetam studiosius legit et in usus suos convertit quam *Sophoclem*; nempe pro captu Byzantinorum, qui prae reliquis fabulis *Aiacem*, *Electram* et utramque *Oedipum* terebant et libenter exarabant. Itaque factum ut Suidas locis suis *Sophocleis* adiungeret etiam Scholia, quae marginibus circumfusa paene cum pulvisculo recepit, praesertim cum brevitatis et modesta doctrina syllogem commendaret. Rarius enim mutila proposuit Scholia: cuius rei exemplum est *gl. Ολοβώτης*. Ipse bis ea citavit, in *v. Λύσοργος*, ubi σχό optimi libri praefigunt, et in *v. Ήμαρ*, ubi vulgatum Σχόλια (Σχῶ V.) refingi debuit σχόλιον: vide vel *Etym. M. vv. Ἀξείδαι* et *Ἰαδρις*, item *Etym. Leid. ap. Gaisf. pp. 156. 160.* Iam etsi scripturam interdum praebet emendatiorem, raro tamen accessionem paulo maiorem ex eo meminisse me annotare: quamobrem opinabar auctarium Scholiorum in *Aiacem* quod ostendit *v. Θρηνηῖν*, fragmentum dico fabulae *Sophocleae*, aliunde petatum esse. Sed eundem locum agnoscit plenius scholion in codice Florentino G. quem *Dindorfius* nuper in utilissimo supplemento *Schol. Soph. Vol. II. p. 90.* memoravit; itemque *p. 42.* fragmentum alterum e *Schol. uberiore Oed. R. 750.* ductum et *p. 95.* levem observationem in *v. Ἐμφανές*. Contra quae copiose tradit *v. Ἀλύειν* iure negat *Dindorfius p. 119.* ad scholion poetae plenius esse revocanda. His igitur aliisque vestigiis motus speciose vir eruditus *ib. p. V.* iudicat Suidae codicem, e quo Scholia sumpsit, ipsi *Flor. G.* quam alteri Florentino sive Laurentiano similiorem fuisse. Cuius sententiam alia iuvant, alia non mediocriter infirmant. Ut in *v. Παρωδία* quae cum Laurentiano concordant, per dittographiam aucta, τὸ δὲ ὄνομα τοῦ παρωδοῦ καὶ Ὅμηρον ἢ μετ' Ὅμηρον ἦν, omissis autem extremis *G.* sic redintegravit, καὶ Ὅμηρον ἦν. ἀνεχρόνισεν οὖν ὁ Σοφοκλῆς: aliter quam *Dindorfius* volebat *p. 39.* adiuvanda duco, τὸ δὲ ὄνομα τοῦ ῥ. μετ' Ὅμηρον ἦν. Ceterum Suidas *Electrae* quidem Scholia selecta decerpserat, *Antigonae* (quam fabulam obiter inspexisse videtur) neglexit,

Trachiniarum et Philoctetae commentarios, quorum color ab antiquitate multum recedit, fore praetermisit.

7. In ceteris scholiis non attinet multum immorari. Nam longe rarius vestigia Scholiorum in Homerum, Thucydidem, Platonem, Lucianumprehenduntur. Contra neque Aeschylis Scholiis usus est neque Euripidis; quod minus mirabuntur qui Suidam viderint utriusque poetae fabulas leviter attigisse, neque copiis interpretum nisi paratis et ad facilem usum accommodatis ille mentem advertit. Atqui corpus scholiorum satis absolutum in neutro tragico confectum est, quod cum Scholiis Aristophanis vel Sophoclis posset comparari. Iam observationes doctas quas duo Veneti codices Iliadis servarunt, non infrequenter Suidas in explicandis notionibus philosophorum et glossis vel significationibus repetiit; rarius tamen et paucioribus verbis librum usurpat Veneto A. similem, diligentius alterum B. unde sensus mysticos et sapientiam allegoricam hausit. Quamquam huic codici tot observationes inferioris aevi, quae potuerint e diversissimis fontibus ad Suidam redundare, sunt aspersae (vide vel gl. Ἀγάθόν, Ἀφροδίτη, Εἰδωλον, Ἡρακλῆς, Θυμός, Φόβος): ut minus tuto pronuciari liceat. Sed certum est Scholia Thucydidis multas suppeditasse rerum et verborum explicationes, quae solebant ad apparatus Atticae lectionis et lexicorum rhetoricorum referri. Harum pleraeque breves sunt, nec facile mutat Suidas aut auget scripturam traditam, quae commentariis rhetorum ac sophistarum debetur. Porro cum ordines illorum Scholiorum tam aetate quam bonitate distinguantur, antiquiora tantum assumit, nec spreuit ea quae pertinent ad interpretationem locorum insignium: horum enim dum Thucydidem assidue lectitat numerum non exiguum Suidas decerpit. Vide specimen insigne gl. Καταφρόνησιν. Aliter usus diiudicari debet, quem Scholia Platonis et Luciani videantur attulisse. Iam Scholia Luciani multis in observationibus cum Suidae verbis conspirant, scilicet quod ex communi fonte hauserat uterque grammaticus. Insunt sane Scholiis istis quae magistri parum periti (nempe diversis manibus constat ea congesta fuisse) de Suida corraserint, ut Schol. Amor. 12. ex interpolata gl. Ἀμφιλαφῆ miro stupore ductum est aut Schol. Contempl. 7. τορνήνην; εἶδος ξύλου στοργγύλου· ἢ τὸ σαμβόν ξύλον καὶ οὐδέποτε ὀρθόν, quae nemo posset expedire, nisi Suidas ostenderet duarum glossarum initia coaluisse. Adde glossas Ἀριφράδης, Κωκυτός, Κρησφύγετα, Σχολιόν in Scholia translata. Sed talia non miramur, cum Scholia Luciani de quibuslibet angulis impari successu fuisse compilata vel potius codicum marginibus allita hodie demonstret sylloge studio Iacobitzii confecta. Suidas autem nec legerat multos Luciani libros, quem raro laudat, nec doctam opinor observationem habet, quae hunc solum ad fontem revocari debeat; immo feruntur in Scholiis narrationes longe meliores et luminibus suis commendatae, quas Suidas non videtur aspernaturus fuisse. Similis est condicio Scholiorum Platonis, quae ipsa de marginibus codicum colligi coepta sunt. Ea iusto rarius philosophi sensus et orationem peculiarem interpretantur, frequentius autem formulas, structuram, proverbia, mores ac personas antiquitatis Graecae tractant et exquisitis opibus, nominatim memoria locisque scriptorum perditorum illustrant. His vero grammaticis testes rerum Graecarum non vulgares praesto fuisse codex Bodleianus ostendit, qui subinde monuit etiam de placitis et arte Platonis; insunt etiam quae prosopographiis accepta referantur, ut narrationes de Socratis aequalibus vel adversariis. Suidas igitur partim cum Scholiis illis consentit et totidem vocibus quasi communem exhibet doctrinam, quam studiosi homines e lexicis rhetoricis derivabant; partim brevius eandem eloquitur sententiam. Velut prolixius Scholia tradunt p. 314. (in Annot. II. 1. p. 1186. corrige

numerum vitiatum) proverbium *δοτράζου περιστροφή*, alterum *κοινὰ τὰ τῶν φίλων* p. 319. cum auctario quodam, Sibyllas p. 315. Chaerephontem p. 331. formulam *χαλεπὰ τὰ καλὰ* p. 394. (a quibus differt p. 369.) et iusto loquacius causam dicti *ὄνου σκιά*. Contra longe plenior est Suidas in v. *Παιδικά*. Hic vero consensus talis est, ut alter quidem alterum iuvet et utriusque comparatio cum fructu possit institui, Scholiorum tamen corpus sive flosculos in marginibus Platonis sparsos non videatur Suidas invenisse. Quodsi quis de tot glossis velit, ut his utar, vv. *Τέως* et *Φαῦλον* considerare, non dubitabit quin ille subsidia descripserit aliter digesta pluribusque testimoniis ornata. Fallatur autem qui Suidam, propterea quod locos e diversis Platonis dialogis non parce produxit, in eorum lectione satis versatum suspicetur neque commentarios interpretum qualescunque sprevisse. Horum enim locorum maior pars ad argumenta lexicorum rhetoricorum, praesertim Photii pertinet, minor ad glossas Platonicas, quas olim a nescio quo collectas supra (5.) diximus in Timaeum et Scholia receptas esse; medium autem ordinem implent observationes Graeci sermonis sive *λέξεων χρησίμων* ex variis collectionibus ductae, quas lector Platonis non plane rudis minime desideraret. Inde fluxerunt animadversiones vulgaris notae, qualem habet p. 375. de formula *ὡς ἔπος εἰπεῖν* ab Suida breviter allata, sed brevius et ut peritum decuit interpretem alterum Scholion p. 397. Denique glossario Platónico debet Suidas non multa quidem, selecta tamen et certis indiciis signata: quorum est *Ἀνδραποδάθη τρίχα* et glossa prae ceteris illustris *Ἀριστίνδην. κατ' ἐκλογὴν καὶ αἴρεσιν τῶν ἀρίστων νομοθεσιῶν*, hoc est, ut demonstravimus, *Νόμων 9'*.

Superest ut moneamus Scholia Hippocratis et Demosthenis fidei esse nullius vel suspectae. Quorum annotationes in Hippocratem cum paucae sint et parum utiles, tum eas reiici iubet auctoritas librorum. Vide quae diximus in gl. *Ἡβός*, quae glossa portenti instar est. Sincerae quidem glossae Hippocraticae quali fuerint colore, melior pars Erotiani significat vel specimen a Gaisfordo proditum in Addendis Etym. M. p. 975. Ab his diversa Scholiorum in Demosthenem ratio fuit: quae quoties in explicandis formulis et antiquitatibus Atticorum cum Suida consentiant, annotatio frequenter ostendit. Sed tota res merum est commentum et fraus bono quasi dolo *Guil. Morelii* commissa. Nam ut princeps Suidae editor alienissimas geographorum et medicorum opes ausus est inculcare, ne quid eruditionis in copiosissimo lexico desideraretur, ita Morelius in edendis Scholiis Demosthenicis, commoda lectorum magis quam fidem librorum suorum spectans, multis Suidae glossis, aliis etiam ex codice Bavarico sumptis, apparatus auxit: unde factum ut errores Suidae vel deteriorum librorum ab eo propagarentur. Huius igitur interpolationes qui primus detexit et in annotationem relegavit, *Guil. Dindorfus* (v. in Schol. Demosth. T. I. p. 178. sq. exemplorum vim ab eo congestam quaeque in Addendis sub v. *Θεωρικά* monita sunt), idem nova recensione persuasit etiam Suidam Scholiis vetustis caruisse. Sed quascunque rerum et verborum apud oratorem explicationes ille collegit, non ex epitome commentariorum derivavit, sed e lexicis rhetoricis. Proinde variae lectiones ex vulgatis Scholiis identidem enotatae nullius iam usus sunt et auctoritatis.

8. Hactenus e doctis subsidiis Suidas cornucopiae Graeci sermonis et antiquitatum Atticarum collegerat, quod temporibus illis ad intelligentiam litterarum sacrarum et profanarum sufficere posset; idem tamen, nequa pars eruditionis deficere videretur, realis etiam quam dicunt doctrinae thesaurum adiunxit. Historiam igitur gentium antiquarum fabularem, sacram, civilem, potissimum Romanorum et Graecorum usque ad imperatores Byzantinorum clarissimos intexuit;

non ille morem recentium encyclopaediarum secutus, ut infinitam nominum illustrium et ignobilium seriem enarraret plenissime, sed satis habuit fastigia rerum antiquarum et quasi capita decerpisse. His tamen finibus operam suam non continuit, sed vitas scriptorum, additis librorum indicibus, tanquam historiam Graecorum litteratam haud vulgarem in modum inseruit. Quodsi vastissimam spectamus materiam et molem ex commentariis omne genus accumulata, profecto miramur temporum illorum assiduitatem et constantiam laboris, in quo vel nostrates manus quamvis exercitata deficiat. Sin vero diligentiam iudicium subtilitatem in tantis tamque dissimilibus copiis digerendis exigimus, voluntatem magis et patientiam agnoscimus quam ingenium prudens et experientia probe temperatum, ac totum negotium sic administratum plerumque videmus, ut casus potius et temeritas lectionis quam sapiens consilium dominetur. Neque iam curamus errores et naevos ex festinatione vel ignorantia rerum singularium natos, ut nomina confusa vel negligenter excepta, narrationes distractas vel a glossis suis alienas, homonymos parum severe distinctos: qualia notant Reinesius Varr. Lectt. p. 362. sqq. et Küsterus praef. p. V. Etenim talia commiserunt et committere pergunt etiam viri cautissimi, nedum ut homines Byzantinos, quorum ingenium ab arte criticaque facultate remotissimum fuit, durius accipiamus per socordiam turpiter labentes. Sed iustissime Suidas potest reprehendi, quod nec delectum in libris excerptis ullam instituit nec luculentas glossas ex apparatu ditissimo collegit, in quibus imaginem et memoriam antiquitatis adumbraret. Immo qualescunque fontes, modo brevitatem commendarentur, ille forte fortuna corripuit, obscura nomina cum claris permiscuit, narrationes fortuitas ac frivolas prolixè descripsit, et, ut generatim dicamus, fractas tabulas ex omni litterarum supellectile sic per universum opus dissipavit, ut neque summae sua ratio constet nec singulis glossis dignitas atque iunctura. Quid quod Christo locum concessurus fabulam ex apocryphis arreptam homo callidus exornat, quasi qui simplicem historiae maiestatem nugis fucatis praetexeret. Adeo saeculum illud inter tristes excerpti compilandique sudores obtorpuerat.

Sed perstringamus istos flosculos historicae doctrinae. Primum igitur plane desunt fabulae sive capita mythologiae Graecae, quam monachi pietas aversabatur. Partem tamen nominum fabularum servavit tanquam primordia Graecorum annalium, sed mirum in modum allegoriis et artificiis pragmaticorum deformatam. Etenim auspiciis Iulii Africani scriptores christiani chronica mundi fabricaverant, quae prisca tempora gentium Asiaticarum, Graecorum, Romanorum breviter delineata cum historiis sacris conflabant. Non illa perpetuam quandam narrationem et probabilem successionem rerum spectabant, sed epitomen nominum memorabilium et quasi nucleum e fontibus turbidis et commentis umbraticis ductum eoque colore vestitum, qui novellas recentium populorum referre videatur. His igitur chronicis unice homines utebantur Byzantini, qui sententiis verbisque simillimis historiam suam universalem sic propagabant, ut tot manus et aetates ab Eusebio inde usque ad Comnenos nihil nisi familiam unam et eiusdem codicis apographa repraesentent. Maxime tamen consentiunt in rebus priscis barbarorum et Graecorum; adeoque scriptorem infimi aevi Georgium Codinum in Originibus CP. multa totidem litteris, quibus Suidas, videmus consignasse. Quamobrem si fructum historicum, non criticum usum et diversam sequimur scripturam, unus et alter ex isto grege sufficit, cuius antesignani Georgius Syncellus, Chronicon Paschale, Georgius Cedrenus sunt; his accedunt, qui potissimum Graecam mythologiam et memoriam Veteris Testamenti sibi sumpserant ad captum Byzantinorum conformandam, epitomator sub initium Saec. X. cuius *Ἐκλογή ἱστοριῶν* opera Crameri (Anecd. Pariss.

II. p. 166—230.) innotuit, Georgius Hamartolus (ibidem Vol. IV. editus) et insignis tenebrio Io. Malalas; nam de reliquis temporibus quis nescit ab hoc tantas nugas esse disseminatas, ut cum aliis fabulatoribus componi nequeat? Sed nuper demum intellectum est omnibus viam praesisse Ioannem Antiochenum: qui qua diligentia chronicon mundi per varias populorum ambages ad Iustinianum usque deduxerit, plenissimum eius corpus ostendit ab C. Müllerō (in Appendice Fragm. Hist. Graec. Vol. IV. 1851.) laudabiliter concinnatum. Is in partitione quidem totius argumenti nihil a communi tramite discessit, in singulis autem periodis unum certamque ducem sibi delegit, a quo brevissimas narrationes sine dubitatione mutuaretur; itaque factum ut opere procedente veros et fideles auctores nactus ipse disertior fieret ac munus suum probabiliter expleret. Hinc Suidas totus pendet, cumque plurimas eius glossas cum Antiochēno, qui locum insignem in Constantini Caesaris Excerptis obtinuit, tam in sensibus quam in membris habituque orationis videamus conspirare, haud temere suspicamur alias etiam particulas ex eodem officina fluxisse. Rudimentis autem huius generis praemunitis iam breviter campos lexicographi historicos peragrarē licebit, quorum conspectum *Suidae Historica* per *Hieronymum Wolfum* utcumque Latine versa (Basil. 1564. 1581.) praestant. Itaque Suidas ex vetustate Graecorum paucos heroes selegit, quos pragmaticis artibus tum solebant in ratiunculas populares mutare; porro deos nonnullos vel potius simulacra deorum interposuit, non ut varietatem fabularum enarraret, sed ex instituto temporum Byzantinorum ut mysticas notiones subtiliter illustraret; itemque superstitiones gentiles et occulta sacra cum heroicis nominibus coniungit. Vide vel glossas *Λέρας*, *Κέχροψ*, *Μαρσύας*, *Όρφεύς* novissimam, *Παλλάδιον*, *Περσεύς*, *Πήκος*, *Προμηθεύς*, porro notionum divinarum exempla *Έρμης* et *Έρμης ό Τρισμέγιστος*, *Ζεύς*, *Ήλιος*, *Ήρακλής*, et quae unam efficiunt societatem *Γοητεία*, *Μαγεία*, *Προφητεία*, *Ολωνιστική*. Accedant de genere cognato *Βραχυᾶνες* et *Σερούχ*. Asiae tamen populos rarius attingit, praeter Iudaeos, quorum historiam nunc e Chronicis supra dictis nunc ex interpretibus Veteris Testamenti et Iosepho illustrat. Vide supra p. XLV. E florentissima Graecorum aetate pauca recurrunt nomina, quae Scholiis vel Lexicis Rhetoricis et historicis, praesertim Polybio debet. Plus autem tribuit imperio Romano, cuius ab cascis initiis exorsus iocularem inscitiam et Latini sermonis et morum ostendit. Vide vel vv. *Βρουμάλια*, *Λίβερος* et *Φεβρουάριος*, ac si quis specimen nominis detorti quaerat, *Βορίανθος*, quod illi significat *Viriathus*. Sed quid Byzantini homines in antiquitatibus Romanis ausi sint, praeter alios chronicorum opifices ostendere potest excursus Georgii Cedreni p. 167—170. Paulo molius et verius sese habent glossae frequentes de viris clarissimis reipublicae Romanae, quas subsequitur recensio imperatorum usque ad Iustinianum Mauricium Theophilum deductus. Harum plerasque praebet Io. Antiochenus sive huius Collectanea magnam partem in Excerptis Constantini reposita. Ioannes vero cum Dionem quique Dionem aut continuerant aut in brevitatem coegere, Herodianum, Zosimum, alios descripserit vel in narrationem suam illigavit, non satis tuto decernere licet, utrum comitem illum ducemque perpetuum an ipsos fontes Suidas adierit. Utrique tamen praesto fuit Eutropii breviarium, quod Graecis admodum placuit, eleganter et concinne versum ab homine sermonis utriusque perito, quem criticorum coniectura verisimilis Capitonem Lycium perhibuit. Vide Küsterum in v. *Άμύσειν*, et longiora specimina sub vv. *Αύρηλιανός*, *Πομπήιος*, *Τιβέριος*, *Φαβρίκιος*. In rebus autem labentis imperii cum alios adhibuit Suidas, tum Procopium, Theophylactum et qui facta post Mauricium tradit Nicephorum Patriarcham (vide *Ίουστινιανός* gl. 2.) in Corpore Bonnensi cum Pisida iunctum, cuius editor Suidam neglexit.

9. His igitur historiae lineamentis nihil aliud Suidas est consecutus, nisi ut lectores ex uno volumine commode decerpere possent, quae multis in commentariis chronicisque sparsa nollent otiose pertractare. Sed philologorum ille gratiam meruit glossis numerosis, quibus historiam litterarum Graecarum peragravit et instrumento firmavit pretiosissimo. Numerum quidem et insignem earum varietatem in conspectu posuerunt *Βιογράφοι* a Westermanno collecti Brunsv. 1845. Nec vero dignitatem et usum huius partis imminuit misera condicio totius farraginis, quam Suidas magis assidue quam prudenter et cum aliqua iudicii subtilitate compilavit. Nempe Photius adhuc eo valuerat ingenio atque iudicio litterarum, ut vitas scriptorum apte referret, argumenta librorum explicaret, elocutionem et colorem orationis diindicaret, flosculos etiam et specimina doctrinae suaviter spectanda concinnaret. Noster autem monachus opes ab aliis traditas bona fide describit, vitas et indicem librorum exiliter perstringit, mores dicta placita, quicquid est interioris notae, quod sapore quodam antiquitatis imbuere nos debet, nunc pro modo facultatum per saturam effundit, nunc silet vel minutatim ostentat; idemque si varias narrationes e diversis fontibus collegit, eas non digestas in perpetuitatem redegit, sed singulas in glossas dispertitur, ut subinde talia de diversis personis videatur accepisse. Velut duae glossae, *Τιμοκλῆς, Ἀθηναῖος, κωμικός*. — *Τιμοκλῆς ἕτερος, καὶ αὐτὸς κωμικός*, quarum neutra tituli fabularum iidem recensentur, non dubium quin ab ipsius Suidae errore ducendae sint. Vehementius tamen miramur de scriptura nominis *Στράβων* fuisse dubitatum: itaque suis locis duplex est reposita glossa, tam haec quam *Στράτων*. Harum perturbationum causam infra (10. coll. III, 2.) docemus. Porro de magnis ac primariis viris paucas servavit narrationes, quibus haud aegre neque cum doctrinae damno carere possis; quamquam intercurrent rareae quaedam et singulares antiquitatis reliquiae, ut in v. *Σοφοκλῆς* observatio quantivis pretii, quae gravissimis quaestionibus de tetralogiis scenicis et arte Aeschyli praebuit opportunitatem. Sed tametsi Suidas materiam luculentissimam crassa Minerva subegit, et multis in partibus muneri suo defuit, ut qui copias paratas mutilare quam plena manu tradere malit, plurimos autem scriptores secundarios (v. annot. in v. *Ἐρμῆπιος Βηρύτιος*) plane praetermisit: mediocre tamen illius operam grati laudamus ac praecclare nobiscum actum opinamur, quod unus saltem homo doctum propagavit instrumentum, cuius per aliorum socordiam omnis propemodum evanuit memoria. Mihi quidem tot errores et commissa videtur fractis tabulis eruditionis Graecae redemisse, quibus notitiam litterarum post Alexandrum Magnum, praesertim rhetorum et grammaticorum, probabiliter instauramus. Vide *Valcken.* in Adoniaz. p. 298. Fruamur igitur bonis huius consilio servatis, citra viri parum solertis iniquam et acerbam quae nonnullis hodieque placet insectationem; ac potius naviter agamus, quod doctrinam aetatis nostrae decet, ut primitivae sinceraeque partes reiectis accessionibus et commentis pravis eruantur, ut emendantur plurima quae labem antiquitatis traxerint, ac stamina veteris famae detergis fraudibus contextantur. Id unice nos in annotatione secutos esse verbo monitum praef. p. XXII.

Verum haec facilius assensum invenient quam coniecturae de fontibus ac subsidiis, quibus Suidas in genere glossarum litterato videatur usus esse. Magnus enim numerus fuit commentariorum de vitis clarissimorum auctorum, magnus item acervus narrationum perpetuarum vel miscellarum de singulis litterarum generibus, praesertim de fatis poesis librisque superstibus; eaque studia diligentissimis Peripateticorum laboribus exulta, disciplina grammaticorum ac thesauris bibliothecae Alexandrinae nutrita, tandem eam in molem excreverant, ut breves tot rerum institutiones et epitomae habiles requirerentur et a doctis etiam viris inchoarentur. His

igitur quicumque fuere Suidas cum indices litteratos historicorum medicorum grammaticorum rhetorum debet, tum vitas poetarum principum, quales hodie poetis scenicis, Hesiodo, Pindaro praefigi videmus ex antiquorum interpretum Prolegomenis decerptas: non enim philologiae tam cupidum eum et accuratum cognovimus, ut copias suas e singulis poetarum exemplaribus corrogaverit. Quid quod in memoria sophistarum Eunapium sprevit, Philostratum raro consuluit, in philosophis Diogenem Laertium nec semper neque curiose comparavit; sed philosophorum sectas et placita nonnunquam e libris ecclesiasticis depromit, Pythagoream sapientiam etiam ex anonyma Pythagorae Vita, quam Photius legerat; quod autem maxime mireris ab osore gentilium sacrorum admissum, multas ille glossas novissimis Platonice eorumque deliris superstitionibus dicavit, auctorem adhibens Damascium, quem idem Photius in capita Bibliothecae studiosissime recepit. Porro non ea mente Suidas Athenaeum perlustrat, ut historiam et fabulas comicorum inde reportet, sed ut exiles quasdam observationes et minime reconditas colligat; quamquam vix credas heluonem istum librorum et antiquitatum, quem Eustathius devoravit, ab conditore thesauri negligi potuisse. Verumtamen ad Athenaeum posthac (cap. III, 4.) redeundum erit; nunc illud monemus, quod ad nostram facit disputationem, interdum eum et in sola comicorum memoria testem adiungi, quorum titulos quospiam attulerit, sed nullum fere locum reperiri, quin suspicione fraudis laboret per lectores invectae. Huc accedit silentium Eudociae, quam supra (I, 5.) diximus saepius appendicem istam *ὡς φησιν Ἀθήναιος ἐν Δειπνοσοφισταῖς* vel similem ignorare. Vide glossas interpolatas *Διοκλῆς*, *Ἐπίνικος*, *Ἐριφος*, *Εὐφρων*, *Ἡγήμων*, *Ἡγήσιππος*, *Λύσιππος*, *Σώπατρος παρωδός*, *Στράτις*, et mendacium glossae *Θεόγνητος*: quo magis gl. *Σώφρων κωμικός* adventiciam esse nobis persuademus. Numquis autem a Suida profectam putet aut turpem laciniam gl. *Καρκίνος Ἀκραγαντίνος* aut talem formulam, quae gl. *Τιμόθεος Ἀθηναῖος* subiicitur? *καὶ Κυνάριον Τιμοθέου δράμα, ὡς φησιν Ἀθήναιος ἐν τοῖς αὐτοῖς αὐτοῦ*. His autem locis subtractis vix unus et alter superat; quos ipsa paucitas in suspensionem adducit. Contra habuit Suidas in promptu comicorum indicem, cuius nunc magis vestigia quam auctorem licet indagare. Quamquam non absonum fuerit haec ad amplissimam Dionysii Historiam Musicam referre: de qua disseruit Fr. Ritterus in Didymi Opusc. p. 89. Saltem in gl. *Ἐπίνικος* quae leguntur *καὶ αὐτὸς κωμικός*, non praegressa cuiusquam poetae memoria, facilem habent explicatum, si quis apud Eudociam p. 166. recensum comicorum intueatur: *Ἐπιγένης. Ἐπικράτης. Ἐπίνικος. Ἐπίχαρμος. Ἐριφος. Ἐρμιππος. Εὐθυκλῆς*. Eandem in gl. 1. *Φιλήμων* verborum *καὶ αὐτὸς κωμικός τῆς νέας κωμωδίας* rationem esse perspexit Küsterus, qui similem ad causam iure revocat in v. *Ἰούστος Τιβεριεύς: ἐπεχείρησε μὲν καὶ αὐτὸς Ἰουδαϊκὴν ἱστορίαν συντάξαι*, post Iosephum scilicet, quem Sophronii Catalogus cum altero iunxit. Porro redolent indicem sophistarum illa, *Πολέμων ὁ νεώτερος, σοφιστής. γέγονε καὶ αὐτὸς ἐπὶ Κομόδου*, modo copulentur male disiecta *σοφιστής καὶ αὐτός*, item ut indicem oratorum v. *ὑπερίδης* haec, *ἀνηρέθη δὲ καὶ αὐτὸς ὑπὸ Ἀντιπάτρου*: tertium tamen locum in v. *Τήλεφος* negamus satis integrum esse. Ceterum Suidae glossas de comicis Atticorum complexus est Meinekius in *Fragm. Com. Gr. Vol. I. p. 547—558*.

Sed absolvamus quaestionem de subsidiis, quae Suidas in glossis litteratis videatur usurpasse. Narrationes quidem de patribus ecclesiae nonnullis et haereticis simpliciter ille deprompsit ex Sophronio, Graeco Hieronymi interprete, dein ex Eusebio, Socrate, Sozomeno, Philostorgio quique praeter hos de rebus christianorum tradiderunt; sic tamen in plerisque

capitibus versatus, ut in patribus et historia tam ecclesiae quam dogmatum eum vix mediocriter sapere iudicemus. Sed in reliquis partibus, quae latissime patent, si duces anquirimus, nihil aliud ipse docet nisi forulos et armaria bibliothecarum ab se perlustrata fuisse et in usum vocata. Gl. *Λαμόφιλος*. — *γράφας πάμπολλα, ἐξ ὧν ταῦτά μοι εὔρηται ἐπὶ (sic) ταῖς τῶν βιβλίων θήκαις.* Et gl. *Σέλευκος Ἐμισσηρός: καὶ ἄλλον δὲ τινα Σέλευκον εὔρον ἐν παραθήκῃ, βιβλία δὲ οὐκ ἔχε.* Quae tamen gl. *Διονύσιος Κορίνθιος* adhaerent, ad tabulam quandam Dionysiorum referenda, ταῦτα δὲ εὔρον καὶ ἐν Διονυσίῳ τῶ τὰ Λιθιακὰ γράφαντι. πότερος οὖν αὐτῶν οὐκ οἶδα, lectoribus debentur. Quodsi coniectare licet de ceteris vitarum scriptoribus, *Philonem Byblium* toties a Stephano laudatum etiam Suidae visum esse suspicamur; eaque suspicio corroborari potest indicibus gl. *Ἡρωδιανός*, modo ne redeant ad fontem vetustiore: *γένεγε κατὰ τὸν Καίσαρα Ἀντωνῖνον τὸν καὶ Μάρκον, ὡς νεώτερον εἶναι καὶ Διονυσίου τοῦ τὴν Μουσικὴν Ἱστορίαν γράφαντος καὶ Φίλωνος τοῦ Βιβλίου.* Superest unus auctor, quem certo tenemus, *Hesychius Illustris*, cuius libellum hodie superstitem de viris eruditione claris Suidas integrum legerat. Nam quod aetatem tulit opusculum, infestam manum epitomatoris subiit et, si cum Suida comparetur, adeo florem suum amisit, ut pauca scriptorum nomina contineat, eorum autem ex vitis singularia quaedam vel frivola tradat; insunt etiam capita, quorum argumentum hisce minutiis totum compleatur. Reliquorum instar haec sunt. *Γενέθλιος ὁ Παλαιστῖνος ἐν ἀκροάσει μιᾷ μελέτῃν ὄλην ἀπεμνημόνευσεν. Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς τοσοῦτον ἦν εὐπρεπής, ὡς ὑπὸ τινῶν προσαγορευθῆναι Λαμπετὸν καὶ χαριτοβλέφαρος. Τίμαιος Ταυρομενείτης γρασοσλλέκτρια ἐλέγετο διὰ τὸ τὰ τυχόντα ἀναγράφειν.* Verum ne multa profundamus in re manifesta: *Homeri* memoria continetur omnis uno membro. *Ὀμηρος ἱστορεῖται γενέσθαι τυφλός, ὡς μὴ ἦτηθεὶς ἐπιθυμίας, ἢ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἔρχεται.* Contra longiores idem libellus servat narrationes de philosophis eorumque placitis, magnam partem e *Diogene Laertio* sumptas, quas Suidas neglexit. Is quoniam exiles istos articulos glossis suis uberioribus intexuit, non dubium est quin *Hesychii* commentarium reppererit copiosum et illibatum, epitomen autem quam solam hodie versamus, aliorum industria novis partibus, nominatim *Diogenis* auxerit. Sequitur ut in Suidae v. *Ἡσύχιος Μιλήσιος* illis, *ἔγραψεν Ὀνοματολόγον ἢ Πίνακα τῶν ἐν παιδείᾳ ὀνομασιῶν, οὗ ἐπιτομή ἐστὶ τοῦτο τὸ βιβλίον,* cum epitomen ignoret lexicographus, novissima statuamus ex interpolatione studiosi lectoris accessisse. Nam quod *C. Müllerus*, qui *Hesychium* nuper in *Fragmentis Hist. Graec. Vol. IV. p. 155—177.* repetiit, opinabatur p. 144. a Suida formulam in epitome lectam fuisse, quam nulla mutatione transcripserit, οὗ ἐπιτομή ἐστὶ τοῦτο τὸ βιβλίον: prodigium istud foret inscriptionis. Sed talia lectorem sapiunt, non Suidam; hunc autem vel invitum similibus additamentis auctum esse nemo miretur, qui praeter alia multa glossam probam et sinceram *Σώπατρος κωμικός* didicerit ab homine semidocto sic suppleri: *Σώπατρος παρωδός. τούτου ἐστὶ δρᾶμα Βαχχίς, ὡς Ἀθήναιος ἐν Λιπνοσοφισταῖς.* Novam scilicet et notabilem rem ille comperisse sibi visus inventum suum in margines effudit, Suidam autem in vituperationem adduxit, tanquam qui imperite comicum a parodo distingueret.

10. Sic apparatus glossarum et thesaurum rerum verborumque Suidas satis amplum construxerat. His tamen copiis vix dimidiam operis partem opinor effici. Sed inusitatam rationem idem utilissimo consilio secutus est, ut voces ac significationes potissimum doctas et minus tritas auctoritatibus scriptorum plurimis magis quam exquisitis illustraret. Nam Atticistae quique

praecepta puri sermonis exemplis auctorum munierant, non omnium aetatum et generum nomina cumularunt, nedum ut locos plenissimis verbis apponerent, sed delectum testium Atticorum inter quaestiones et controversias paulo difficiliores promere solebant neque voces exscribere complures, nisi cum opportunum esset. Eadem condicio fuit Lexicorum, quae Rhetorica vocantur vel Etymologica; nec dubitari potest quin epitomen perpessa sint, siqua nunc plenis utuntur testimoniis, nunc breviter ea nominibus auctorum designant: id quod apud Hesychium usu venit et Harpocratonem Palatinum supra (5.) commemoratum. Contra Suidas omnia litterarum Graecarum genera et saecula pervagatus, quicquid in diffusa scriptorum lectione novi vel eruditi deprehenderat, unde vocabulorum usus fides significatus cognosci posset et stabiliri, id totum in lexi sui penetralia transfudit, in quo negotio neque vetera recentibus, rara vulgaribus, prosam poeticis artibus secrevit ac distinxit, neque constanter auctorum nomina protulit, quasi leve momentum in iis situm esset. Id silentium criticis onus minime gratum, cui post Portum et Küsterum primus incubuit Toupius, iniunxit et iniungere pergit, ut auctores celatos impari successu debeant indagare. Sed quos auctores ille suam in rem verterit continuo docebimus; nunc paucis ac necessariis observationibus summam ostendamus rationem, quam in testimoniis disponendis et explicandis inierit. Ac primum videtur monendum, quod ab aetate Byzantina nemo non expectet, locos scriptorum rarius integros afferri, plerumque neglectis quae in oratione longiore describentem morarentur vel pro supervacuis haberi possent. Exemplorum instar sint tot Polybiana vel Appiani fragmentum in v. *Ψαφαρόν*. Hinc innumerae criticis dubitationes atque coniecturae subnasci debent, ut locis salebrosis et suspectis si minus integritatem reddant, ac certe sententiam probabilem et explicatum sanum inveniant. Nec tamen defuit versiculis poetarum, praesertim Sophoclis, industria lectorum, qui locos parcius exhibitos addendis plusculis, sed ultra glossae consilium, tanquam privatos in usus continuarent. Hinc in gl. *Ἀμνίας. ὄνομα κύριον*, cui sufficere potuit unus Aristophanis versus, amplius sex accesserunt, quos apparet non ad glossae sed ad comici intelligentiam desiderari. Praeterea hoc quoque compendium operae suae fecit Suidas, quod in principiis locorum nominibus cum parte membri pressis nudam formulam *Ὁ δὲ — Οἱ δὲ* — introducit. Ut in gl. *Ἰσὼ ζυγῶ* locum exorditur ab his, *Ὁ δὲ ἀγαπήσας αὐτὸν καὶ φιληθεῖς* et quae sequuntur; Iulianus autem Caesar cuius orationem decerpit: *πότερον ὡς ὁ Σκηπίων ἐκεῖνος ὁ τὸν Λαίλιον ἀγαπήσας καὶ φιληθεῖς κτλ.* Quantum ista brevis studia hominum doctorum eluserit, qui locos mutilos et obscuratos suis auctoribus reddere conarentur, non attinet demonstrare. *Schweighäuseri* *) quidem observatio paucas in glossas cadit. Multo vero magis miramur in gl. *Τετραποδητὶ* potuisse locum quempiam, *Οἱ δὲ τετραποδητὶ τρόπον τινὰ προσπλεξάμενοι ἐβιάζοντο*, licenter e Polybianis fingi dissimillimis, *διὰ τὸ τοὺς μὲν ἄλλους τόπους, εἰ μὴ τετραποδητὶ τρόπον τινὰ προσπλεξάμενοι βιάζοντο κτλ.*, vel ex verbis historici bis prolatis, *ὥστε καὶ τοὺς ἐν τῷ συνεδρίῳ ἀχανεῖς γενέσθαι καὶ παρεκστῆναι ταῖς διανοαῖς, συμπάσχοντας τῇ τῶν ἀκληρούντων ὑπερωδυνία*, prodisse tale frustulum sub v. *ὑπερωδυνία: Οἱ δὲ συνέπασχον τῇ τῶν ἀκληρούντων ὑπερωδυνία*. Ceterum si quis unum de Collectaneis Constantini titulum versavit, non ignorat singulis excerptis particulam *ὅτι* praemitti. Similiter locos non solum historicos, quos ex illius horreo depromit, sed theologorum et philo-

*) Opusc. T. II. p. 214. *In more hoc habuit lexicographus noster, ut veterum auctorum testimonia, in quibus oratio obliqua quodammodo aut infinita esset, a verbis Οἱ δὲ inciperet, quo scilicet oratio recta prodiret et verbum in indicativo modo poneretur, atque ita magis perspicua redderetur dictionis ratio.*

sophorum satis frequenter (non enim constanter id observatum) Suidas ab *ὄτι* exorditur; ac saepenumero Gaisfordus ex codicibus eam voculam reduxit *).

Deinde plures glossas cum Suidas sub eodem lemmate repperit, eas in unam non solet conflare, sed deinceps disponit, servatis etiam si qua insunt falsa sibi que repugnant. Ac dixerit aliquis tantam Byzantinorum ignaviam, qui criticam solertiam et iudicii subtilitatem minime desiderarent, boni consulendam esse, quod largiorem materiam et incorruptam nobis ostendat. Verumtamen partem utilitatis ipse minuit confundendis mutilandisque membris, quae propter similitudinem viderentur concidi posse; turbas autem incredibiliter auxit error librariorum et mala lectorum sedulitas: quorum librarii copias a Suida vel possessoribus temere relictas magis etiam omittendo distrahendove permiscuerunt, lectores cumulandis novis accessionibus adeo sui dissimilem fecerunt, ut posteritati stuporis et imperitiae notis obrutus male commendaretur. His tribuendum quod exemplis scriptorum subinde cum explicationibus glossae parum convenit: ut in *v. Καταβολή*. Cf. III, 6. Nulla tamen labes molestior accidit quam dissipatio homonymorum et confusa hominum domi militiaeque clarorum memoria; quo in genere quam misera glossis litteratis obvenerit fortuna supra (9.) monuimus. Sed satis est specimen perturbationis infinitae posuisse glossas *Ἀημάδης*, de quibus vide novissimas curas in Addendis. Porro testimonia plura sub unam glossam coniecta nunc indiciiis nullis distinguuntur, quae res saepe valuit ut locos diversos nec librarii neque editores dirimerent; nunc interposita formula *καὶ αὖθις*, quam vir doctus Chardonus Rochettus fragmenta de Babylonicis Iamblichi conquirens incaute sic accepit, tanquam auctoris praegressi novus locus subiiceretur. Sed istud *item* Suidae cum lectoribus eius industriis commune fuit, nec raro dubitare licet utrorum habenda sit annotatio locorum, praesertim eorum qui per saturam et extra legitimum ordinem cumulentur. Quamquam, ut his instar centenorum utar, quis in huiusmodi glossa, *Χρήματα χρήματ' ἀνίρ, πενιχρὸς δ' οὐδέποι' ἐσθλός. — μέμνηται τοῦ Ἀριστοδήμου καὶ Ἀλκαῖος. Ὡς γὰρ . . . καὶ τὰ ἐξῆς. Καὶ αὖθις Ἀριστοφάνης. Οὐκ οἶδ' ὅτι χρήμα με ποιεῖς. Σκέψαι τοίνυν — ὑπὸ τῶν ἀεὶ δημιζόντων. Καὶ Σοφοκλῆς. Τί χρήμα δρᾶς, Ἄλαν;* et quae per sex versus decurrunt, quis igitur diffiteatur Aristophanis et Sophoclis auctoritates alienas et insitivas esse?

In explicationibus afferendis collocandisque non eandem rationem videmus extare. Priores quidem glossographi parcius eas assumebant et operam suam plerumque locis obscuris vel controversis navabant. Suidas vero quoniam materiam ex variorum commentariis derivavit, nunc pauciores ascribit interpretationes, nunc crebras et confertim aggestas, quae vix in unum et alterum testimonium competant; raro nudam statuit glossam nec facile citra suspicionem fraudis ab lectoribus commissae, qui voces insolentes ex aliis scriptoribus vel ex ipsius Suidae glossis satis habeant annotasse. Hinc turpia portenta, quae obelo debent procurari: velut *Ἐραπίδανλος* ex Anthologiae versu, quem glossa superior deformarat, vel *Τεγγάρων* e *τετάρων* male lecto

*) Schweighäuser. Opusc. T. II. p. 208. Quod autem ut alia multa, sic et hoc fragmentum ab v. *ὄτι* inchoavit lexicographus, id indicio est non ex ipso Polybio haec talia ab illo descripta fuisse, sed ex Constantini Porphyrogeneti *Excerptis*. Qui quod morem istum ad solas observationes historicas rettulit, sano Küsterianum exemplar ob oculos habuit. Nam Gaisfordus demum *ὄτι* oclolis addidit diversissimis, quae sub unam Suidae glossam coguntur: de quo monuit in v. *Ἄβαρις* p. 8. Hanc notam ab editoribus usum eius non intelligentibus perperam omissam in sequentibus restitutam saepius e MSS.

cupidius arrepta. Porro nominibus geographicis iidem appingere solent ὄνομα πόλεως, ὄν. ἔθνος, ὄν. ποταμοῦ, ubi meliores libri breviter πόλις, ἔθνος, ποταμός, nominibus autem propriis saltem ὄνομα κύριον, unde monstra syntaxis nascuntur, ut, Τηλέγονος. ὄνομα κύριον. ὃς πρῶτος ἐφεῦρε τὴν ὀλωνιστικὴν κτλ. Cf. III, 3. Interdum etiam inchoatas et imperfectas explicationes e codicibus didicimus: ut in altera gl. Καιρός, quam concludit ἀντὶ τοῦ . . . Διεκριμάτισε, Σιρῆνος. Sed interpretationes quas ab ipso Suida profectas credere licet, iusto saepius leviter factae sunt et magis ad sensum locorum quam ad proprietatem verborum accommodatae. Ut Ἐνέβαλεν. ἔτυψεν num quis concoxerit, nisi quod subiicitur exemplum ostendat formulam πληγὰς ἐνέβαλε significari? vel Ἡρίθμησεν. ἀπεδειλίασε, μεθ' ἡσυχίας ἤγαγε, quae Scholiorum Aristophanis commenta simul respiciunt ad acutam poetae dictionem et eiusdem scripturam deteriore. Multo tamen magis observandum has explicationes non solum initio glossarum reponi, sed in finem etiam reiici, nec rarius in orationem exemplorum mediam inculcari. Horum tertium genus saepe Mediolanensis editor et Küsterus per interpolationem oblitteraverant, quam optimi codices manifestam fecere. Vide modo v. Ἀντελαμβάνοντο. Tandem interpretamenta quasi extra ordinem adhaerent rarissime, quibus singularis exempli vox vel formula tangitur: vide vv. Ἀντισθένης, Καρτερός, Κᾶτα. Nos huiusmodi explicationes, siquae mediis vel extremis testimoniis allinuntur, formis typorum minutis iussimus distingui. Id institutum non solum verbis auctorum disiiciendis vel perperam conglutinandis dedit opportunitatem, sed effecit etiam ut partes exempli cum interpretatione paene coalescerent. Ut, Ἀντ' ἄλλης ἀρχῆς ἐστὶ τοῦτο δρᾶν. τουτέστιν, ἀντὶ τοῦ ἀρχεῖν τὸ καινοτομεῖν. τῶν δὲ ἀρχαίων ἀμελεῖν. Aristophanis verba sunt, Δρᾶν ἀντ' ἄλλης ἀρχῆς ἐστὶν, τῶν δ' ἀρχαίων ἀμελεῖσαι. Porro, Ἐγκόνει. ἀντὶ τοῦ σπεῦδε. μέλλοντας γὰρ ἐσθίειν ἐπέχεις. δειπνεῖν κατακλύεις πάλαι. Eiusdem poetae sunt, Ἐγκόνει. δειπνεῖν κατακλύεις πάλαι, reliqua Scholiorum, quae bifariam partiri Suidas omisit. Alibi vel interpretatio locum ipsius testimonii occupavit. Ut in v. Ἀνέχει: καὶ Σοφοκλῆς. Οὐκ ἀνέχουσι τῶν πόνων. ἀντὶ τοῦ, οὐ περιγίνονται τῶν πόνων. Expulso τῶν πόνων, quod in superiorem ordinem irrepsit, revoca manu Sophoclis in v. Ἰήων plene servatam, Οὔτε τόκοισιν ἰήων καμάτων ἀνέχουσι. Contrarius error gl. Ἐπισάξαι affecit. Plura huius generis praestabit annotatio sub v. Τριτάλαντον. Omnino saepius accidisse per librarios ut oratio testium ex interpretationibus obscuraretur, demonstrat altera annot. in v. Ἐνέκαυα.

11. Restat ut, id quod in finem huius capitis dilatatum est, auctoritates et lectionem Suidae Graecam tanquam in tabula describamus. Eam quaestionem si probabiliter et ingenio temporum illorum convenienter expedire volumus, non sane speciem externam, id est, multitudinem locorum et nominum allatorum sequemur. Etenim partem ex subsidiis et fontibus plane repetiit, partem studiis privatis et adversariis diligenter instructis Suidas commiserat. Atqui certa fuere scriptorum genera, quibus interpretes poetarum et Lexica Rhetorica doctrinam suam ornare solebant, neque horum testimoniorum notae fugere possunt, si quis observet pleraque muniendis narrationibus de Graecorum antiquitatibus, praesertim iuris Attici, denique causis institutorum proverbiorum formularum explicandis fuisse destinata. Velut supra (7.) monuimus longe plurimos Platonis locos, quos nemo prorsus diffiteatur ab ipso Suida lectos annotari potuisse, Glossis Platonice vel Lexicis Rhetoricis deberi; quibus subtractis pauci quidam et leviores Suidae relinquuntur, ut illud, Ἐλθῆ ἀντὶ τοῦ ἐλθέτω. Νόμων θ'. Μῆτε εἰς ἱερὸν ἐλθῆ μηδέεν. Multo minus dubitari licet quin auctoritates oratorum, quos rarissime videmus propter observationem

sermonis et exquisitas dictiones laudari, iisdem Lexicis Rhetoricis tribuendae sint. Nam Antiphontem Isaeum Lycurgum Hyperidem, quorum fragmenta non spernenda post Harpocracionem aliosque grammaticos Suidas exhibuit, nullus opinor Byzantinus illius aetatis suis oculis conspexit, nec facile horum verba proferuntur nisi propter cognitionem rerum civilium et moris Attici. Hinc iure colligimus et Antiphontis locum, quem v. *Σαμοθράκη* custodivit, et aliorum sub gl. 1. *Διάθεις* et *Ὀκνῶ* congestos, qui manum eruditam produnt, ex fonte vetustiore fluxisse. Iam raras glossas quae copiosis oratorum testimoniis usum et significatus vocabulorum illustrent, ut gl. *Ἄμα*, *Ἄττα*, *Δεῦρο*, *Ἐμποδῶν*, *Ὀμοῦ*, *Τέως*, magnam partem etiam in aliorum horreis recurrunt vel auctaria praebent ex rivis communibus hausta. Accedat gl. *Αισθέσθαι*. Contra gl. *Δεῖ* originis est longe deterioris. Nec desunt quae per interpolationem e Lexicis de syntaxi quondam invecta fuerint: ut Isocratea sub vv. *Διαφέρω* et *Ὀνειδίζω* vulgata. Similiter iudicandum de Lysiae testimoniis, item ut de plurimis Demosthenis locis, qui diversissimis in partibus antiquitatum versantur; nisi forte paucos (vide vv. *Δέομαι*, *Διαχειρίζε*, *Διαφέρω*, *Διώκω σε*, *Κληρονομῶ*, *Μεταδίδωμι* ac glossas affines *Ἀντιβολῶ* et *Δικάζω*) excipimus, qui lexicis syntacticis debentur. Quodsi Suidas inter ipsam Demosthenis lectionem lumina quaedam et formulas memoria dignas excerpisset, non dubitamus quin Scholia quaedam ut solet docta vel ad interpretationem apta de marginibus adiecta fuerint; nunc autem delectus ille Scholiorum, quem supra (7.) tetigimus, eum plane fugit aut parum tenuit. Eandem igitur iudicandi normam ad poetas transferamus. Quorum Aeschylum vix inspexit (immo tres illius fabulas, quas Byzantini prae ceteris describebant, aliorum ex commentariis videtur cognovisse); Euripidis aliquot versiculos leviter perstringit; Comicorum perditorum dicta, quae notitiam morum et locutionum suppeditabant uberrimam, apparatus lexicorum et interpretum doctorum obtulit, ac multum abest ut fabulas poetarum scenicarum hodie desideratas et recondita poesis Alexandrinae monumenta, Callimachi vel Nicandri, suis manibus evolverit. Sufficit vero hanc in rem (ut pauculos Lycophronis et Theocriti versus mittam) et glossas Menandreas explorare, quae numerum efficiunt haud exiguum, et quae in Auctorum Indice latent sub praescriptione *Ποιητῆς ἄθλος*. Hinc lectionem Suidae finibus non ambiguus includere licebit. Poetarum quidem classicorum, ut aevum illud ab artibus Mussarum erat remotissimum, paucos adhibuit, prae ceteris tamen Homerum, mediocriter Hesiodum et Pindarum, diligenter Sophoclem, nisi quod Philoctetam et Trachinias festinantius percurrit; sed acquabili studio, quod nunquam non mirabar in litteris parum decoris ab homine monacho consumptum fuisse, pertractat Aristophanem eiusque fabulas undecim totas in lexicon digessit. Parem autem industriam in Scholiis Sophoclis et Comici collocavit: de quibus explicavimus supra 6. Porro metricas Aesopiarum fabellarum collectiones, partim hexametris et elegiaco metro conscriptas (quarum reliquias Lachmanni Babrius p. VII. sq. posuit), partim clarissimum Babrii corpus, attente decerpit. Vide Ind. Auctorum sub vv. *Βάβριος* et *Μῦθοι*, quasque glossas olim Knochius de Babr. p. 50. sq. enumeravit. Hodie constat non raro meliorem Babrii scripturam a Suida servari. Hunc excipit poeta labentis aevi Georgius Pisida, cuius Acroases miro favore lexicographus adhibuit, auctorem plerumque silens. Itaque versiculos sperandum est complures etiamnum apud Suidam indagari posse, siquidem nuper demum, quod suspicatus eram (v. Addenda), ad eundem exemplum gl. *Πρὸ τῶν ὄλων* redire carminum pervestigatio firmavit; ac nunc ipsum animadverto senarium in gl. *Ἦλη*, quem Pisidae tribuit gl. *Ξένας*, sine notatione praetermissum esse. Integrum autem versum supplevit Suidas gl. *Τύχη*, idemque haud semel opportunas vel necessarias lectiones

exhibet, ut in vv. *Παράβασις* et *Τέλμα*. Ceterum quicquid scripturae apud Suidam extat, Bekkerus omisit commemorare. Tandem Anthologiam ab Constantino Cephalo recens paratam insigni studio perlegit et incredibilem numerum versuum, quem sedulitas lectorum etiam augebat, potissimum ex libris V. VI. VII. in scrinia sua traduxit. Corpus universum, si compendium optimorum codicum sequimur, *Ἐπιγράμματα* solet appellare *). Suidas vero sic cum libro Palatino conspirat, ut eius scripturam firmet vel suppleat; idemque meliores lectiones multas ac notitiam carminum ineditorum subministrabat, cum Anthologia Palatina latitaret in thesauris Vaticanis. Aliquantum operae Küsterus istis particulis impendit, qui frequenter speciminibus *Anthologiae ineditae* animadversiones suas, nunc plerumque deletas, distinxerat; his levius addidit supplementum e quinque epigrammatis doctus Gallus (*Chardon de la Rochette Mélanges de Critique* I. p. 92—113.), qui tunc Vaticanum librum versabat. Criticum tamen Suidae usum ex Iacobsii commentariis T. III. perspicere licebit plenissime, qui summatim eius admonuit A. Pal. T. I. p. XIX. Sed nec librarius codicis Palatini nec Suidas ubique ductus archetypi difficiliore assequi potuit; unde huius aliquot errores fluxerunt, ut in vv. *Ἀκτιν*, *Ἀκοστήσας*, *Λύγα*, *ᾠμησιῶν*, *Ἰστίνος*.

12. Ex prosaicis autem scriptoribus eos maxime tenuit, unde historias populorum et hominum illustrium peteret. Et in sacris quidem litteris, quae diligentissimam utriusque Codicis observationem cum notitia gentium antiquarum ac rerum ecclesiasticarum et doctrina theologica iunctam requirere nobis videantur, mediocriter Suidam sapuisse nec sine ducibus Theodoro chronicisque Byzantinorum, cum modo (5. 8.) singulatim sit demonstratum, non attinet in hoc argumento morari. Nec plures ducimus quod raro Patres attigit, memorat tamen aliquoties Basilium, Gregorium Nazianzenum, Ioannem Chrysostomum, atque Socratem cum aliis scriptoribus ecclesiae christianae paulo prolixius delibat. Dixeris eum inter theologos philologum, inter philologos quasi theologum et disciplinae divinae magistrum haberi potuisse. Hoc tamen loco repetendum, non paucas narrationes de viris claris et Caesaribus imperii Romani, quas Dio Cassius eiusque sectatores usque ad aetatem Iustiniani tradunt, Suidam ex annalibus Ioannis Antiocheni transtulisse. Iam de principibus antiquae historiae non indiligenter ille, cura sermonis quam historiae maiore motus, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem percurrit. Quorum Herodotum etsi suis oculis nec tantum e Scholiis et Lexicis Rhetoricis

*) Gaisfordus in v. Ἄ ᾗ: Titulus libri quem Anthologiam sive Florilegium epigrammatum nuncupare vulgo solemus, antiquitus fuisse videtur vel simpliciter Ἐπιγράμματα vel Βιβλος ἐπιγραμμάτων, Suidae codices, ubique iste liber citatur, plerumque exhibent (ἐν) ἐπιγράμμασι vel compendiose ἐπιγρ. Contractam formam fere semper praebet codicis A. pars vetustior, cuius recentior portio plene dat ἐπιγράμμασι. Inveni quidem singularem ἐπιγράμματι, sed rarius. Constantiae causa in sequentibus pluralem ubique non monito lectore reponam. Huius iudicium etsi probo, quoniam tamen tota res compendiis litterarum agitur et aliquam habet varietatem (nam V. qui plerumque ἐν ἐπιγρ. ostendit etiam ἐν ἐπιγράμῃ in v. Ἡμιδαῖς, porro sub v. Λιθόσω appellatur εἰς Ἀνακρόντος ἐπίγραμμα, sub Φρῦνος ipsum καὶ Ἐπίγραμμα), equidem satius duxi ἐν Ἐπιγράμμασι tum demum revocare, cum diserta librorum auctoritas accedebat. Eam ob causam non poenitebit glossas sublevisse consensu codicum munitas hasce: Ἀπλοῖδας. Ἀπροῖδης. Ἀρασσόμενα. Ἀτρόμητος. Βασσαρῆς. Βιαρχῆος. Βιοτή (ubi corr. Ἐπιγράμμασιν). Βολῆς. Βόστρυχος. Βοτηρικά. Βουχανδῆς. Βρέγμα. Βριδομένη. Γαῦλος. Γεωμόριον. Γλάγος. Δαῖ. Λῖσα. Ἐπεισόδιον. Ἐπήλυσιν. Ἐπιρῶξει. Ἐδδίνητα. Ἰμερόντα. Ἰουλος. Ἰοχάιρα. Θυρέος. Κίστη. Λάας. Λαγαρόν. Λεχῶ. Ληρεῖς. Λογάδες. Λογχατόν. Λόχμιος. Λύδην. Λυδοί. Λύθρος. Μαλανδρος. Μεθούσαν. Μεμυκότα. Μεταλλεύεις. Μίλτος. Μινύαι. Μνοῦς. Νέποδες. Νομαία. Ὀγμος. Ὀλπη. Ὀμαιμος. Οὐρίαχος. Παρήγορα. Πάρθη. Πετάλος. Πιδακίων. Πιερία. Πολύγληνον. Πολυσπαδῆς. Πόππουξε. Πρίαπος. Πρίων. Προχόφ. Πυκάξει. Ραγολόγος. Ρίνη. Ρόπτρον. Ρυτήρες. Ρυτίς. Σειρήνας. Σίκνον. Συλόνοχος. Τάλαρος. Ταναῖ. Φήγιμος. Φιλήνεμος.

cognovit, item ut Thucydidem, unde magna vis Thucydidiarum glossarum fluxit, verba tamen saepe negligenter et obliterata dialecto describit; Xenophontis autem Anabasin dilexit, ad Cyropaediam minus attendit, reliquis libris leviter defunctus est. Ceterum inter Thucydidis lectionem ne Marcellini quidem omisit opusculum, quod sexies respexit. Impensissime vero historicos post Alexandrum M. perlegit et decerpsit, quorum insignes flores par vasta Collectanea Constantini Porphyrogenneti sparsos invenerat. Ac prae ceteris eum tituli de legationibus, de virtutibus et vitiis, tertius sententiarum oblectarunt; nam de reliquis non satis tuto iudicare licet, quamquam et ipse sub *v. Σάμβυκες* ad caput *Περὶ Ἐκφράσεως* ablegat et nuper demum novum exemplorum fontem (*v. Add. in v. Ἐφεστρίς* et *Ἰστερίζειν*) recuperavimus, titulum poliorceticum ab C. Müllero protractum. Cf. III, 5. His igitur horreis et tabulariis historiarum maximam partem Polybii, Diodori, Nicolai Damasceni, Dionysii Halicarnassensis, Iosephi, Appiani, Dionis Cassii, Eunapii, Prisci, Malchi, Menandri Protectoris et minorum quorundam auctorum, quorum agmen claudit supra (8.) dictus Ioannes Antiochenus, Suidas rettulit acceptam. In singulis quidem locis describendis negotium suum ut solet liberius peregit, subtractis vocibus vel membris; usurpavit tamen apographum bonum, quod emendationem frequenter adiuvat, interdum etiam plenior servarat orationem, ut in *v. Θεοδόσιος βασιλεύς*. Nam glossam perturbatam et mutilam *Πρέσβεις*, quam ad epitomen referre possis, imperita manus interiecit. Porro multas fragmentorum accessiones idem praebet, quibus corpora Niebuhrii et aliorum ditare licet; earum autem indicia scrutantibus sub Malchi, Menandri ceterorumque nominibus Index Auctorum aperiet. Ac dudum *F. Ursinus* eoque longe cautior *H. Valesius* (*v. Praef. Exc.*) hunc Suidae usum agnoverant et multiplicem inde fructum percepere. Iam in tanta historicorum familia fuerunt quos lexicographus non solum ex Constantini Eclogis sed suis etiam laboribus cognitos haberet ac proprio iudicio decerperet. Horum principatum tenet Polybii, quem assidue tractavit; unde tot fragmenta redundarunt, manifestis illa vel incertis notis deprehensa. Nicolai Damasceni, Diodori, Dionysii si forte locos prodit solus, eorum notitiam opinor ex Eclogis esse haustam: quibus quam operam navarit, vel Dionysii fragm. Ambros. XIII, 1. 2. ostendit, sive historia de ludimagistro Faliscorum, unde sex glossas exemplis illustrari videmus, partim emendatius scriptis, cf. *v. Περιποίησι*, item *v. Κατηθλημένων*, cuius ignarus fr. XIII, 19. Maius corruptit. Eadem observatio cadit in aliquammultos Appiani locos et Dionis Cassii, de quo *Valckenarius* (in Adoniaz. p. 298. *Legeritne libros Dionis Cassii nobis perditos an aliunde Dionea derivaverit, definire non ausim*) caute dubitavit; sed Iosephum, melioribus libris usus, et Arrianum non indiligenter legit. Quo magis miramur Plutarchum (*v. Wyttenbachii Praef. Mor. in Opusc. T. II. p. 332. sq.*) ab eo vix in transcursu proferri, quamvis auctor Geticorum ignobilis Crito subinde commemoretur. Deinde historicos, qui rerum Byzantinarum initia tradiderant, saepenumero laudat privatis studiis exploratos, praesertim Procopium, cuius ne Anecdota quidem sprevit, Agathiam et Theophylactum Simocattam, cuius orationem ope Suidae refingi posse monuimus in Annal. Berol. a. 1836. p. 460. At Strabonem non attigit; Pausanias tamen glossas aliquot historicas suggestit, quamquam eae tam negligenter sunt administratae tantisque erroribus perfusae, ut alienas manus debeamus suspicari. Cf. III, 4.

Testibus autem rerum civilium Suidas auctores etiam philosophiae, quae tum viguit, scholasticae adiunxit; idemque scriptores quospiam propter suavitatem orationis et leporem sententiarum

utilium peragravit. Huic igitur consilio neque Platonem et Aristotelem neque historicos philosophiae potuit accommodare, sed unice substitit in commentariis Peripateticorum (quamquam ubi Philoponus describitur sub v. *Τρέφω*, praemissum videmus *Τροφή*. [hoc est, *Περὶ τροφῆς*] Ἀριστοτέλης), praesertim iis quibus Alexander Aphrodisiensis opus Topicorum et Ioannes Philoponus libros de anima interpretantur. Inde plurimas definitiones dialecticae artis et ontologiae hausit, saepe tamen verbis liberrime conversis ac mutilatis vel minus accurate prolatis, quorum discrepantias parum integras annotatio tradere solet; nam ipse Graecis Alexandri commentariis invitus carebam *). Alias eiusdem generis notiones parum scienter idem e Diogene Laertio (v. supra 9.) deprompsit, cuius editores Suidam paulo rarius in usum criticum veterunt. Quid quod mentem etiam ad sententias Marci Antonini Augusti intendit et Marinum Platonicum evolvit; Porphyrium autem, cuius interdum meminit, aliorum e scriniis petisse videtur. Tandem etiam superstitionibus suorum temporum, cum regia supellex inter necessarias privatae bibliothecae opes *βιβλίον τὸν ὄνειροκρίτην* (vide memorabilem recensum Cerimonialis Constantini p. 467.) circumferebat, Suidas concessit locos sat multos ex Onirocriticis Artemidori, cuius nomen constanter pressit. Mox illius exemplum alii cupidius subsecuti lexicon totum *glossis onirocriticis* repleverunt; quorum fraudes in cap. III, 5. indicabimus.

Postremo Suidas copias eruditionis particulis scriptorum aliquot ornavit, quos elegantia sermonis cum sensibus humanitatis innecta commendaret. Horum ut libros in manum sumeret decerpandos, non illi persuasit studium elocutionis Atticae, quod modo (4.) monuimus tum prorsus exaruisse, sed valuit etiamtum nomen splendidissimum et auctoritas Photii, qui laboribus ecclesiasticis varias antiquae Graeciae lectiones et quicquid gratam vitae occupatae afferret oblectationem pulchre sociavit. Vide supra p. XLIV. Suidas igitur tanti viri vestigia subsecutus delectum auctorum instituit, unde formulas et dicta haud vulgaria suam in rem converteret. Primum igitur iidem redeunt scriptores, quos Photius studiose legerat et cum intelligentia doctrinae vel suavis orationis (vide supra 9.) exprompserat, Iamblichus Babylonicorum artifex, qui fabulam amatoriam Graeculis probavit, Philostratus de vita Apollonii Tyanei, Damascius qui vitam Isidori iocularibus Platonicorum somniis repleverat, verbis usus admodum affectatis. Quorum ex Iamblichio locos nonnullos Suidas solus servavit, a Chardono Passovioque collectos; Philostrati historias et dictiones notabiles e selectis libri partibus leviter traxit, nec Photium imitatur, qui miras argumenti varietates eadem cura qua reconditas formulas ac structuras

*) Poteram sane variam scripturam e Philoponi commentis enotare; sed labore perpetuo voluminum conferendorum defessus libens id taedium omisi, cum viderem istam Suidae partem ab nemine curari et necessitatibus huius muneris post Küsterum a Gaisfordo sperarem esse satisfactum. Sed ea spes nos fefellit. Nam etsi molestum et infinitum est prolixam Philoponi doctrinam, quam Suidas licenter immutatam contraxit, plenam afferre, multis tamen locis, quorum oratio per nimiam brevitate vel librorum socordiam laborat et vitium duxit, integram eam oportuit apponi. Velut in gl. *Φυσικός λόγος* p. 1574, 9. inde potuit facillime demonstrari mendosa *καὶ τῆς ὕλης καὶ τῶν φυσικῶν πραγμάτων καὶ τοῦ εἶδους τῆς αἰτίας* sic esse restituenda: *καὶ τῆς ὕλης τῶν φ. π. καὶ τοῦ εἶδους καὶ τῆς αἰτίας*. Deinde p. 1575, 9. corruptum *καὶ γὰρ καὶ τὸ σῶμα παραχῆ γίνεται* ex illo debuit refingi, *καὶ γὰρ καὶ ὁ σθεναρὸς π. γ.* In v. *Ἀισθήσεις* p. 57, 1. praestat eiusdem scriptura, *εἰ δὲ καὶ ψόφου λέγομεν αἰσθῆσαι μεγάλου ἢ μικροῦ, ἀλλ' ἐνταῦθα* (editur ἤδη δὲ *καὶ ψόφου λέγομεν ἡσθῆσαι μ. ἢ μικροῦ. ἀλλ' ἔ.)* κτλ. Infra p. 57, 18. reddenda, *συναισθανόμενα τοῦ μεγέθους καὶ τοῦ σχήματος*. Sed quod malus est, non annotatur in v. *Τρέφω* p. 1198, 19. membrum necessarium et fine glossae firmatum, quod homoeoteleuton hausit: *τὸ μὲν κινῶν καὶ κινούμενον, [τὸ δὲ μόνον κινούμενον, οὐκ ἔτι δὲ καὶ κινῶν.]* Porro sub v. *Πῦρ* p. 565, 18. repono *οὐκ ἂν* et sub finem *εἰς τὴν αὐτοῦ οὐσίαν*. Haud paucas etiam librorum optimorum lectiones ex eodem Philopono licuit corroborari. Vicissim ex Suida saepenumero Trincavellianum exemplum, quod satis mendose expressum est, emendari poterit vel suppleri.

(*κάλλει φημάτων καὶ συνθήκης διαλάμποντα*) decerpit; sed intentius Damascii naenias pervagatus est, unde caput Photianae Bibliothecae (Cod. 242. autem narrationem de Philostratis excipit) non contemnendis auctariis historiarum et sophisticae phrasis suppletur. Monuit universe Kästerus in v. *Ἀγαθοεργία*. Nec dubitamus quin eiusdem plura latitent apud Suidam, quorum color mysticum quiddam spiret et inflatas Platoniorum argutias. Nam praeter expectationem ille non solum longiores Damascii sermones et notationes ingeniorum (ut vv. *Ἀρχων χρότιος, Ἀσκληπιόδοτος, Εὐλείδιος, Ἠγίας, Ἡράτοκος, Ἰεροκλῆς, Ἰάριος, Ἰσίδωρος, Θεαγένης, Παμπρέπιος, Σαλούστιος φιλόσοφος, Ὑπατία*), in quibus Photius plerumque deficit, sed singulos etiam locos castigatius vel uberius scriptos consignat. Ut ubi Photius paulo dilutiorem posuit epitomen, *ὅτι φησὶ μετρίως μετέχε τῶν ποιητικῶν ὁ Ἰσίδωρος, οὐ λίαν σπουδάσας περὶ αὐτά, ἅτε οὐχ ἀπτόμενα τῆς ψυχῆς*, Suidas plene sub v. *Ἄττα*: *Ὁ δὲ Ἰσίδωρος ἐμελέτα ἅττα τῶν ποιητικῶν, οὐχ ὅσον δυνάμει, ἀλλ' ὅσον ὀρέξει εἶχεν. εἶχε δὲ ἐπ' ἐλάχιστον τῆς πρὸς αὐτὰ συμπαθείας, ἅτε οὐχ ἀπτόμενα κτλ.* Adde praeter alias gl. *Ἐρμείας*. Has igitur lectionis delicias cum Photio habuit communes; novas autem adiunxit non solum e Synesii (cuius nomen silet) dissertationibus et epistolis haustas, quas propter eximiam verborum et sensuum gratiam cupide lectitatas esse constat, oratione tamen interdum licentius immutata (cf. v. *Φιλοσοφίας ὄφελος*), verum etiam lumina quaedam Iuliani Caesaris, quem mireris ab homine religioso tam libenter usurpatum, ut integras τοῦ Παραβάτου epistolas (vv. *Ἐπιστολὴ Ἰουλιανοῦ, Ἡρόδοτος, Μουσαῖος*) insereret et lepidas ex iis et orationibus sententias, nomine plerumque suppresso (ut in v. *Ἀγελαῖος*, cuius memoriam index locorum auctus praetermisit), non inscite deligeret. Plurimum tamen spatii concessit Aeliano, cuius pietatem et elegantiam fucatam mirifice dilexit. Hinc illa fragmentorum ex libris de providentia et *περὶ Θεῶν ἐναργειῶν* (nam pauca quaeque historiam naturalem attingant praebuit opus de Nat. Anim.) incredibilis vis, quae decursu formularum et sententiarum aequabili (v. Index Obs. v. Aelianus) incedunt et quovis membro superstitionem et affectata tersissimi sermonis pigmenta ostentant. Notavit istum scholasticae facundiae pruritum et argutias cum ab aliis iactatam, tum *Ἀελιανοῦ τινος ἐν τῷ περὶ δαιμόνων προνοίας* Ioannes Siceliota Hermogenis interpres T. VI. p. 229. Itaque sicubi per tot locos anonymos *Valckenariūs* (qui Annotatt. in N. Foed. post Oratt. p. 343. f. *praeter alia, forte centum, sine auctoris nomine prolata fragmina, haec quoque sunt ex Aeliani libello perduto περὶ Πρ.*) lumina calamistris inusta deprehendit, Aeliani nomen, teste Gaisfordo, paulo calidius appingere solet. Quamquam verum est, fragmentorum eam collectionem, quam olim *Perizonius* sive *Kühnius* e Suida ductam secundum litterarum ordinem digesserat, nec plenam esse neque copiis eruditionis illustrem, quam hodie post curas doctissimorum Batavorum Toupiiique requirimus. Insunt etiam Aelianeis praeclaras quaedam narrationes de vitis Graecorum et Romanorum, quae si discesseris ab artificiis verborum et pietate nimis ambitiosa (huius enim generis nonnulla sunt admodum puerilia, ut locus ex vv. *Ἀσκὸς Κτησ.* et *Βουλυτός* redintegrandus), non displiceant et possint oblectare. Vide glossas ampliores *Ἀρχίλοχος, Βραγχίδαι, Ἐννιος, Ἐπίκουρος, Ἰαχὴν, Ἰούνιος*, gl. 2. *Ἰππίας, Θεόπομπος, Κορνοῦτος, Μέλητος, Σιμωνίδης*, historiam e Chrysippo derivatam *Τιμωροῦντος* et ocellam artis comptissimae *Φιλήμων*. Habet igitur iustam et ingenio dignam materiam, qui reliquias Aelianeas velit ad intelligentiam illorum temporum et officinae sophisticae meliorem concinnare.

Sed haec satis fuit perstrinxisse: nihil enim aliud nobis proposueramus nisi ut summis lineis imago studiorum ac subsidiorum describeretur, quae Suidam adiuverunt.

CAPUT TERTIUM.

DE INTERPOLATORIBUS SUIDAE.

In praegressis capitibus aliquoties cursus disputationis nos ad glossas interpolatas et accessiones hominum studiosorum deduxit. Quas cum viri docti saepius in diversissimis lexicis partibus observassent, id a plurium symbolis profectum et tanquam ex atomis concinnatum esse suspicabantur, adeoque dubitare coeperunt num fundus primitivus ab adventiciis copiis discerni posset. Velut Reinesius Varr. Lectt. p. 362. farragine[m] appellat, nomine Suidae cuiusdam praemunitam, *etsi unius auctoris non sit, sed plurium, e diversis omnium aetatum scriptoribus collecta et subinde aucta*. Hasius autem Comment. de Io. Lydo p. XXVII. pro certo habuit tam Suidam quam reliqua magna lexica, quae generis eiusdem sint, *a tot possessoribus progressu temporum aucta suppleta confusa esse, ut iam in illis quem constet a primo lexicis auctore proficisci locum, vix inveniamus*. Sed de finibus interpolationis regundis paulo post viderimus; nunc breviter explicandum, quid in hac causa Suidas ab aliorum scriptorum condicione differat. Omnes enim norunt magnam temeritatem ac novandi libidinem frequenter in iis locis cerni, quorum sermo, sententia, numeri fugerent intelligentiam magistrorum; nec facile reperitur scriptor ab vulgi captu remotior aut commercii scholarum tritus, quin ingenia grammaticorum orationem corruptam vel minus expeditam verbis planis et ex arbitrio factis in formam popularem redegerint. Hanc quidem sortem apparet ab opere Suidae collecticio prorsus alienam esse. Quamquam neque fragmenta scriptorum, quibus lexicon suum distinxit, communem labem effugerunt, nec glossae historicae copiosiores (v. supra I, 3.), quas breviandi studium et ignavia librariorum decurtare solet. Verumtamen iste morbus non ipsum Suidae corpus invasit aut antiquum eius colorem mutavit, sed intacta mansit primitiva glossarum compages et supellex docta testimoniis et observationibus antiquitatis munita. Nimirum Suidas, quod supra (II, 4. p. XLII.) monuimus, unus inter Graecos lexicographos hanc fortunam consecutus est, ut per aliquot saecula plurimis augetur accessionibus et labor vastissimus, quem in epitomen crederes cogi debuisse, grandem in molem excresceret. Numquis enim miretur aut reprehendat possessores tanti thesauri, quod materiam fortuitam inter lectionem et studia litterarum repertam, item ut nos hodieque cum lexicis agimus, in domesticos usus marginibus commiserint? Itaque minime dolum malum et fraudem his exprobramus, qui librum ad omnium commercia paratum et expositum animi causa variis additamentis auxerunt; nam qui Polyuctum conviciis obruit aut calculos sub *vν. Ἀδάμ* et *Κωνσταντινούπολις* institutos sumpsit continuandos, ut exemplis utar ex cap. I, 2.

petitis, profecto candidus homo fuit: sed quoniam istis symbolis, quippe quae nullo certo consilio per manus et aetates diversas essent subnatae, multa continentur parum prudenter attexta vel ab confessis Suidae subsidiis aliena, multa plane falsa vel quae probis glossis repugnent et lexi conditorem ignominia premant, aequum est et necessarium ut veteres sincerisque partes ab copiis adventiciis seiungamus, et quicquid ultra fines ac testes capite II. ostensos excurrat, id interpolatum et in Suidae fraudem invectum indicemus. Hunc igitur postquam duobus saltem saeculis studiosi lectores certatim auxerant, id genus industriae paulatim substituisse videtur, neque post tempora codicum A. V. quorum in ordinem aut margines totum Suidae patrimonium cum auctariis abisse constat, quicquam observatione dignum crediderim irrepsisse.

2. Antequam tamen ad notas et classes interpolationum varias progrediamur, ipsa quaestionum series postulat ut origines errorum persequamur, quibus lex glossarum clementaria perverti videtur vel obscurari. Diximus enim supra (II, 1.) constanter a Suida cautum fuisse, non solum ut glossae secundum ordinem priorum litterarum disponerentur, sed singulatim etiam syllabae sibi succederent; eamque normam adeo diligenter servari, ut confusio qualiscunque manum alienam et imperitam prodatur. Iam hoc loco non de glossis male repositis sed de iis quaerendum est, quarum initium mediaeve litterae ex errore natae sunt. Nempe viri docti quondam, ut illi parum honorifice de prudentia lexicographi nostri sentiebant, istos errores in unum Suidam coniecerant. His viam praeierat Casaubonus*), quem sequitur Küsterus praef. p. IV. Suidam pronuncians saepe vitiosis codicibus ita fuisse deceptum, ut voces adulterinas et corruptas pro veris et genuinis acciperet. Sic Ἀμάστῃς apud eum habes pro Ἀχμαστῃς, Ἡρίθμῃσεν pro Ἡρέμῃσεν, Πεπιασμένοις pro Μεμιασμένοις, Τάλειον pro Τέλειον, Ὑστίνος pro Ὑσγίνος, Κοιλιδιᾶν pro Κυλοιδιᾶν, Φρήμας pro Δι᾽ ἐρήμας, Δείξαντες pro Διήξαντες, Ἀλίβυες pro Οἱ Αἴβυες, Ἡμιμαλλόνες pro Αἰ μιμαλλόνες, Θεσμοτόκον pro Ἔσμοτόκον, Ἡβός pro Ὑβός, Ἀνάραστοι pro Ἀνοργᾶστοι, Δάψατο pro Ὀλόψατο, Δωτύς pro Ἐδητύς, Εὐχέιμονος pro Λευχέιμονος, Παιόλη pro Ἀπαιόλη, Παιόλημα pro Ἀπαιόλημα, Ὀζωτά pro Ὀξωτά, Ὑσῆπηρος pro Οἰσπηρός, Φόωντα pro Ἀφόωντα, Φυλοκρινεῖ pro Φιλοκρινεῖ, et alia. Repetit Küsterus atrum indiculum in v. Περίεσα, ubi praeterea commemorat Ἀοριστύν pro Ὀαριστύν, Δάσιος pro Λάσιος admissa. Idem nova piacula monstrat in v. Νία: Solet enim interdum Grammaticus noster miro stupore voces dimidiatas pro integris in serie sua ponere: ut Ἄλα pro Οὐδαλα, Ἀκῆτιν pro Δονακῆτιν, Νῆτιν pro Γυναικωνῆτιν, et alia huius generis plura. Profecto si lexicon tantae molis tamque diversis auctoribus sive codicibus nisum non pluribus aut foedioribus laboraret peccatis, facile veniam deberet Suidas impetrare. Nam philologi recentium saeculorum, quamvis plurimis artis et doctrinae subsidiis muniti, si toties depravatis lectionibus fidem habuerunt, si perplexos litterarum ductus aegre sunt assecuti monstraque vocabulorum, malis codicibus vel incertis collationibus librorum confisi, iusto serius exterminarunt: cur Suidam, id est, hominem Byzantinum, neque critica subtilitate nec puris grammaticorum copiis instructum, acerbius vellicamus, quod elementis affinis confusis apud Procopium in v. Ἀλπισιον detorsit Λιγούρους in Αἰλούρους, et ξ̄ obscurato

*) Animadv. in Athen. I, 6. Quam saepe isti cucullato grammatico depravati codices errandi ansam praeberint, scimus nos, qui in eius libris multas hoc genus culpas observavimus, ut cum φοιτάλιος male apud Sophoclem legit pro φοιτάλιος, cum apud Pindarum φρήμας δι' αἰθέρος pro ἐρήμας, apud Theocritum δῆτα κοιλιδιῶντες pro κυλοιδιῶντες, in veteri Epigrammate ὑστίνιοι θεριστρα pro ὑσγίνιοι. Pari stupore (cur enim non dicam ἴγωνα ἴγωνα?) σκόλια αἰθῆ legiti et probavit pro δασκῶλια, et ῥουβαδιουβος pro σουβαδιουβος subadiuvata.

Ὀξωτά posuit, vel Δάσιος. ὁ δασύς, cum infra Λάσια. λασέα (ubi δασέα refingi iussimus in Add.) editores fugerint omnes? aut quod crasium et vocum male diremptarum ignarus Θεσμοτόκον ab Anthologia Palatina sumpsit, ubi hodie distinguitur θείης δ' ἰσμοτόκον, idemque Παιόλη et Παιόλημα finxit e crasibus Aristophaneis, Ὠπόσα e Sophocleo χῶπόσα? Enimvero hunc si rudem omnis litteraturae ducimus, quid Hesychium censebimus, aetatis longe melioris testem? a quo palaeographia vel potius anagnostica disciplina contempta glossas portentosas ac dimidiatas (vide saltem vv. Αἵται, Ἡροπᾶν, Ὀθῶς, Πιτίμα, Πίχειρα, quaeque praebent Küst. in Suid. v. Ἰλλάδες, Meinekius in Philologi T. III. p. 321.) singulis in paginis esse fabricatas primus demonstravit Bentleyus Ep. ad Millium p. 33. sqq. Revertamur tamen ad Suidam. Is partem errorum, sed modicam pro difficultatibus operis infinitis, ipse commisit; partem non exiguam temeritas lectorum introduxit. Hanc vero primum in conspectu ponamus. Lectores igitur e Suida glossis et testimoniis cum obscuras vel inauditas voces decerpissent, cupide gemmulas istas inculcabant et in margines conicere coeperunt, nec solícite de scripturae fide et veritate quaerebant. Inde librarii falsas glossas in ordinem transtulerunt; quarum originem cum intelligamus a solis fere Suidae copiis esse repetendam, perperam egit Küsterus hunc unum omnium facinorum reum postulans. Sed exordiamur ab commentis minime controversis. Epigrammatum ex Anthologia versiculos Suidas non semel (vide supra II, 11. extr.) mendosos descripsit. Velut Phaniae distichon, Καὶ ψήκτραν ἄκτιν (δονακίτιν) ἀπέπτυσε καὶ λιποκόπους Φασγανίδας καὶ τοὺς συλόνυχας ὄνυχας (σιόνυχας), propter vocabula singularia sub quattuor glossas distractum est, quarum unam nos expulimus, aliam longe pessimam Ἄκτιν Gaisfordus propemodum eiecit. Deinde versus Antipatri ex v. Ἐανῶ ductus, Ἄ μεγάλα δ' Αἴγυπτος ἔανῶ δάψατο χαιτήν (id est, ἔαν ὠλόψατο χ.), allexit hominem curiosum ut exsculperet hanc glossam, Δάψατο. Ἄ μεγάλα — χαιτήν. Ignorant eam boni libri. Adde quod infra memorabitur Τανάχαλκος. Porro quod exemplum A. in margine v. Διοχλῶ reposuerat e Lexico de Syntaxi sumptum, Πᾶσαν διοχλεῖσθαι γυναικωνίτιν, cum novissima vox nescio quo casu disiecta fuisset, novae glossae praebuit opportunitatem: Νίτιν. Πᾶσαν διοχλεῖσθαι γυναῖκα νίτιν. Portentum bona fide Küsterus accepit, quod cum A. exterminare debebat. Item sub v. Αἰθήρ cum optimi codices exarassent, καὶ Πίνδαρος· Φρήμας (ἐρήμας) δι' αἰθέρος, exortus est lector male sedulus, qui sibi glossam enotaret iamiam expunctam, Φρήμας. Πίνδαρος· Φρήμας δι' αἰθέρος, ablegans etiam ad fontem suum gl. Αἰθήρ. Similiter boni libri sub v. Ἀράβιος ἄγγελος ex imperita ductuum interpretatione traxerant τεγχάρων, quod legendum erat τετάρων: unde fluxit prodigium glossae iam rite procuratum Τεγχάρων. Δραχμῆς μὲν αὐλεῖ, τεγχάρων δὲ παύεται. ἐν τῷ Ἀράβιος ἄγγελος. Eandem labem duxit gl. Δραχαρνεῦ, quod pro Δραχαρνεῦ scriptum in tres alias glossas immigravit; eademque ratione repertum in v. Ἀμμποι nomen Ἀλίβυες, id est οἱ Αλίβυες, noviciam glossam Ἀλίβυες conflavit, item ut e prava scriptura v. Ἀργυροκοπεῖον, quam non intellectam admirabantur, glossam finxerunt Ἡμαντήριον. Neque studium intempestivum in iis copiis sese continuit, quas Suidas ostentat, ut olim gl. Ἀθρέμβολα homo lippiens e sanissima gl. Ἀρθρέμβολα fabricarat, itemque gl. Ναυμάχιον, cuius argumentum totidem fere litteris recte tradit v. Ἀναυμαχίου: sed aliunde malas observationes derivarunt, quae lexicographo multum obsuere. Hinc Ἡβός e glossis Hippocraticis (cf. p. L.) arreptum pro ὕβός, Κορρίδης e Κοδρίδης detortum, Πεπιασμένοις libris invitis obtrusum, quod apud Aelianum est μεμιασμένοις. At gl. Ἀοριστύν vix attinet memorare recens subornatam. Sic pleraque Küsteri crimina dilabuntur. Ceterum quae Casaubonus incusat, facile possunt elevari:

nam *Φοιτάλμιος*, quod unum vocabulum efficit glossam, ex inferiore *Φυτάλμιος* provenit, item ut *Κοιλιδιᾶν* ex altera *Κυλοιδιώντες*, *Σχώλια* vero glossam ab errore vetusto v. *Ἀσζός* petitam codices aspernantur. Remittamus igitur Suidae iocularem gl. *Ῥουβαίουβος*, non stultiore illam tot glossis nomicis (cf. p. XLVI.) male pictis.

His profligatis indicem subiicimus glossarum, quarum in primordiō vel mediis in syllabis peccatum est. Erroris quidem culpam nunc Suidas sustinebit, nunc ubi res litteris vulgo permutatis vel in pronunciando confusis agitur, librariorum par fuerit in culpa societatem vocare. Sed posthac ordines quosdam et gradus errorum discriminabimus; interim bifariam eos enumeremus.

Ἀπάκτου. Βαβακατρεῦ. Γελάδας. Γώνυμος. Δαξιμός. Δάσιος. Δωτύς. Αἰνικός. Ἐλδουνομένους. Ἐμεχωνῖται. Ἐπαφανάνθην. [Ἐπίττουν.] Ἐφήγησις. Ἡμιμαλλόνες. Ἡνιμαῖσθαι. Ἡρδιον. Ἡρικνωμένον. Ἰβυκανητῶν. Ἰβύκινον. Ἰστωρ. Ἰφίστιος. Θεσμοτόκον. Θεὸς Ἄρης. Θηρατεύεσθαι. Λαιστόν. Λύγα. Λυσθείς. Ὠπόσα. Παιόλη. Παιόλημα. [Πλακιάδαι. Πτερυλλίδων.] Προστιβάδες. Ῥειαμενῆ. Σπίτταλος. Τευθήν. Τύπη. Ὑπατοι gl. 1. Ὑπεζώμασε. Ὑφέστιος. Φάρος gl. 2. Φιλόσοφος. Φόωντα. Χοίνικες gl. 2. Ψίμαρον.

Iam ad confusas litteras affines redeunt paucae, *Δάσιος* (*λάσιος*), *Λύγα* (propter exemplum ex Anth. Pal. petatum *λύγα πυρός*, quod legendum erat *αὐγὰ πυρός*), *Τευθήν* (*πευθήν*), *Φάρος* gl. 2. ex incerta nominis obscuri forma derivatum, ut sub gl. 2. *Χοίνικες* locus Synesii referri videmus, ubi *φοίνικος* extat, et *Ψίμαρον* e *Χίμαρον* deflexum. Nec plures ex litteris duarum vocum male coniunctis seiunctisve prodierunt: *Ἀπάκτου*, *Θεσμοτόκον* (ex Epigrammate supra dicto), *Θεὸς Ἄρης* (pro *Δουσάρης*), *Ῥειαμενῆ* (Homericum *εἰαμενῆ*), *Σπίτταλος* (ex Aristophaneis *πρὸς τοὺς Πιτιάδου*), *Ὑπεζώμασε* (id est *Ἦς ἐζώμασε*), *Φόωντα* ex Homericis *τόξ' ἀφόωντα*: eodemque referantur *Παιόλη* et *Παιόλημα*. Videtur tamen excipiendum *Ἀπάκτου* nude cum Sophoclis dicto positum; nam alibi rectum extat *Πακτοῦν*. Longe maior autem earum numerus, quarum initiales litterae ex errore vel ignorantia, praesertim in vocabulis raris, sumptae sunt: ut *Αἰνικός*, *Ἐλδουνομένους*, *Ἐμεχωνῖται*, *Ἡμιμαλλόνες*, *Ἡρδιον*, *Ἰβύκινον* et *Ἰβυκανητῶν*, *Ἰστωρ*, *Ἰφίστιος*, alia, quae scribi debuerant *Εὔνικος*, *Ἀλδαινομένους*, *Σεμεχωνῖται*, *Αἰ Μιμαλλόνες*, *Ῥηδιον*, *Βύκινον* et *Βυκανητῶν*, *Ἐστωρ*, *Ἡφαίστιος*. Notabilior est glossa *Προστιβάδες*, cuius vicem Diodorus *τρῆς στιβάδες*, porro *Θηρατεύεσθαι* vetus corruptio verbi *στραγεύεσθαι*, ac mutilatae voces, capite dempto vel deformato: nempe *Γελάδας*, *Γώνυμος*, *Δαξιμός*, *Δωτύς*. Contra vix ad Suidam referre licet *Ἐπίττουν* (*Ἐπεπίττουν*), glossam perperam collocatam, nedum ut monstra scripturae *Ἡμέκτεον*, *Πλακιάδαι*, *Πτερυλλίδων* feramus, quae plenis vocibus in sua sede, hoc est, in νν. *Περιημάκτεον*, *Ἠ Λακιάδαι*, *Τετραπτερυλλίδων*, exhibentur. Ceterum non apparet quid de glossis vitii suspectis *Ἀπερράπισεν*, *Γάμβορος*, *Λαιστόν*, *Νία* statuendum sit. Tandem relinquatur aenigmatis istar capite truncata gl. *Φιλόσοφος* p. 610. quam cum constet ad Philippum Opuntium spectare, nemo tamen lemmatis rationem explanavit.

Alter ordo glossas vitiosas eas complectitur, quae mediis in vocibus errorem ostendant ex litteris depravatis vel secus acceptis repetendum. Earum magna pars Suidam arguit eosdem in laqueos incidisse, in quos etiam recentioris aetatis critici saepius sese induerunt, dum aut similes litterarum figuras permutant aut errores e pronuntiatione vel levitate librariorum natos parum

assequuntur. Hinc apud Suidam Ἀμύνειν, Ἀνάρπαστοι, Αἰαιοί, Δαψίδων, Δειδία, Ἐξεπιώκατον, Εὐθυγενής, Ἡμεν, Θειάσομαι ὄλη, Ὄξωτά, Πιγνή, Πρόβολος, ubi sincera fuit scriptura Ἀμύνειν, Ἀνοργίαστοι, Αἴλιοι, Δαφυλῶν, Δειλία, Ἐξεπιώκατον, Εὐθυτενής, Ἡσιμεν, Θειάσφ μαινόλη, Ὄξωτά, Πιτύη, Πρόλοβος, quod infra sub h. v. eodem cum mendo recurrit. Alia per malam prononciationem vocalium irrepserant, ut Ἐγκαινίδες, Ἐπίλυσιν, Θρηνακία, Κερωτή, Ναίεθος, Ποίθιοι, id est, Πύθιοι, item Τημοῦχος, quod mireris una cum exemplo profectum a sanissima gl. Ἐπίκουρος, et absonum commentum Τοῦν. Non minimus tamen errorum numerus ad incuriam librariorum redit aut ad fraudes lectorum intempestivas. Aperta quidem illorum peccata sunt Ἐπαιώνιστο (Ἐπεπαιώνιστο), Θρυαλλεῖ (ut apud Hesychium Ἰαλάσι), Κιφησοφῶν (item ut alterum portentum Κησιφῶν), Κολάκρετον, Κολασσαεύς (praemunitum illud glossae sua sede depulsae Κολοσσαεῖς), Κολιάς (quod infra legitur recte scriptum), Μεμακυῖα, Μεμαστιλημένος ex inferiore gl. Μυστιλάται fictum, item ut Ὠοτοκάταξις ὄνομα κύριον ab homine curioso fabricatum e glossa proba; porro Στράτων Ἀμασεύς e gl. Στράβων recoctum (cf. p. LIII. et dittographiam Πρίσκος sub v. Κρίσκης inculcatam), Τανάχαλκος ex Epigrammatis versu perperam conflatum, Ψαμῖς temere proCUSUM ex altero Ψαλῖς: nec dubitamus quin ab eadem officina provenerint et Υἱωνός cum continua Υἱῶσαι male post v. Ὦων intrusa et Ὑπαίμακε. διέφθειρεν ex Anthologiae versu satis inscite subornatum. V. infra 6. Possunt etiam alia probabiliter ad lectores operis transferri; ne tamen omnes huius generis lapsus a Suida depellamus, cavebunt duae glossae vetustis sub auctoribus admissae, Ταινῖαι ante Τένθαις sua in serie, tanquam esset τενῖαι, locatum, et Ὑπειρέσιον, Ὑπειρετικοῖς, quae per ἦ debuerant exarari: adeo tum malus prononciandi mos inveteraverat. Nec plane fugerant talia librariorum diligentes: cuius rei significationem elicimus ex observatione marg. A. Πειῖτον. κῆται ἐν τῷ παῖ διφθόγγῳ ἐσφαλμένως, respicienti ad praegressam glossam nomicam Παιῖτα. Porro deceptus libris Athenaei corruptis sub v. Εὐσχημος comicum tradit Euschemum, qui fuit Ephippus et infra suam sedem invenit; contra gl. 2. Ἐφιππος quae prorsus ad Ephorum spectat, error fortuitus effecit ut ad malum lemma pertraheretur. Relinquantur etiam glossulae quaedam, de quibus non uno modo coniectari potest, ut Ἀδιή, Δείξαντες, Εὐχείμονος. His igitur causis fraudum vel errorum omnibus ut par est expensis sequitur ut ex eo numero, quem Küsterus confecit allatis Ἀμάστις, Δείξαντες, Ἡρίθμησεν, Κοιλιδιᾶν, Ὑστινος, solam novissimam praeter Δείξαντες agnoscamus; nam Ἀμάστις istud paulo post ad suam originem revocabimus.

Itaque posterior glossarum mendosarum ordo hisce glossis continetur:

Ἀδιή. Ἀθρήνη. Ἀμύνειν. Ἀνάρπαστοι. Ἀναιτος. Ἀνιππασία. Ἀνυπόβλητον. Ἀώρησις.
 Ἀπενήκασιν. Ἀπειροι γῦπες. Ἀρρηγοφορεῖν. Ἀρρήσιος. Βωώτης gl. 2. Δαψίδων. Δέδοιμι.
 Δειδία. Δείξαντες. Διαπεράναντες. Δραχαρνεῦ. Δυσδιάλλακτον. Αἰαιοί. Ἐγκαινίδες.
 Ἐγκυκλήθητι. Ἐκπήγνυσθαι. Ἐμπολεμῶσαι. Ἐναυλήματα. Ἐξεπιώκατον. [Ἐπαιώνιστο.]
 Ἐπίλυσιν. Εὐθυγενής. Εὐσχημος. Εὐχείμονος. [Ἐφιππος gl. 2.] Ἡμεν. Θανμάλωψ.
 Θειάσομαι ὄλη. [Θρηνακία.] Κιγηλός. Κοιλόσυρτος. Κυνήσιος. Ναίεθος. Ξεναλίζω. Ὄξωτά.
 Ὀργμύοντες. Οὐδεναιός. Οὐκ ἐνεομένως. Πιγνή. Πιτυάνη. Προβιβάζεις. Πρόβολος.
 Προεξεφρεσία. Ποίθιοι. Ρομβοσιτωμυλήθρα. Σαρμυδησός. Ταονθαρεύειν. Ὑπειρέσιον.
 Ὑπειρετικοῖς. Ὑστινος.

3. Hactenus aliud agentes in recensu glossarum suspectarum probavimus Suidam variorum accessionibus, qui maiorem fidem diligentiamve quam scientiam afferrent, locupletatum et erroribus repletum fuisse. Sequitur ut diversissimos interpolationis gradus et fontes summam distinguamus; quibus cognitis leviores etiam formas (nam in omnibus minimis fraudibus nec libet neque vacat immorari) facilius licebit observari. Iam ut a fontibus exordiamur, unde lectores materiam augendo lexico derivabant, magnam quidem partem ipse Suidas obtulit, quem intentissima cura tanquam horreum eruditionis rimabantur; non spernendam autem copiam ex auctoribus omnium ordinum tanquam per saturam adiungebant. Suidas igitur quoties vitas hominum clarorum tradit, quoties observationem prodit morum Graecive sermonis haud vulgarem aut in testimoniis nomina hominum atque voces ostendit paulo rariores, studiosi solent advolare, marginibus aliarum glossarum istas delicias doctrinae Byzantinae committunt, interdum etiam glossis opportunis auctaria subiiciunt, tandem suo Marte nova lemmata condunt, quorum sub praescriptionibus spolia nullo sudore parta reponant, nec falsis corruptisve lectionibus sese deterreri patiuntur. Utamur in re minime recondita tribus exemplis, Ἐκτραορδιναρίους, Ὠρωπία, Χαλκέντερος. Prima quidem glossa, Ἐ. Ῥωμαϊκὴ λέξις. δηλοῖ δὲ ἐπιλέκτους, si compararetur cum membro novissimo gl. Πραίφεκτοι (τοὺς καλουμένους ἐκτραορδιναρίους, ὃ μεθερμηνεύμενον ἐπιλέκτους δηλοῖ), deinde gl. Ὠρωπία. χώρα (cf. v. Σαγγάριος) quae vetus appendix praeter opinionem est allita, Ὁ δὲ Δημοσθένης ἐπεθύμησε ἠητορικῆς, Καλλίστρατον θεασάμενος τὸν ἤητορα ὑπὲρ Ὠρωπίων λέγοντα, cum in vita Demosthenis prima recurat, gl. Χαλκέντερος autem cum notissimi cognominis rationem iisdem fere verbis, sed incerta sede iactatis, explicet, quae suo loco gl. Αἰδύμος Αἰδύμου posuit: quis credat in observationes intuens per solam curiositatem repetitas Suidam sua ipsius scrinia tanquam fortuitos in discentium usus expilasse? Inprimis vero nomina propria minus per vulgata, quibus nudam formulam ὄνομα κύριον addi videmus, sectantur. Hinc perversum extitit facinus Ἀδμωνι τῷ Μιτυληναίῳ, ductum illud ex verbis male lectis gl. Ῥοδώπιδος ἀνάθημα. In quo studio longius progressi memoriam virorum illustrium suppleant, ubi Suidas his peculiare glossas destinare neglexerat; sed tam simpliciter illi suum opus peragunt, ut oratio crasso filo contexta neminem fallere possit. Vide vel gl. 4. Ποσειδώνιος et supra p. LVIII. Ut cum Critiam et Stilichonis res gestas inculcant glossis superioribus usi: Κριτίας. Τοιγάροι τῆς τοῦ βίου προαιρέσεως ἐπαξίως ἔτυχεν ὁ Θηραμένης τῆς τελευταίας, Κριτίου κρίναντος αὐτόν. Στελίων. ὄνομα κύριον. ὅς οὖν Ῥουφίνῳ ἐπὶ Ἀρκαδίου καὶ Ὀνωρίου ἄμφω τὰ πάντα συνήραζον. Μάλεος. ὄνομα κύριον. Φαιστός, πόλις Κρήτης. Ὀμηρος — ἀπόεργει. Μάλεος γὰρ τις κτλ. Ubi nemo non intelligit temere compilari, quae unice glossae Φαιστός convenient; ac fraudis admonet Leidensis extra seriem ista reponens. Porro pessimum inventum Ὠτοκατάξις. ὄνομα κύριον unde fluxerit supra (2.) dictum est. Quid quod homo curiosior, quem Küsterus ineptum et semidoctum librarium taxat, dum Aristogitonem Harmodii sodalem anquirat, gl. 1. Ἀριστογείτων Κυδμάχου suspicionem nostris codicibus vetustiore subtexuit hanc: Ζήτει περὶ τοῦδε τοῦ Ἀριστογείτωνος, μήποτε ἔστιν οὗτος ὁ Ἀρμόδιου ἐταῖρος. Ceterum istud commentum facit ut moneamus interdum fontem, unde haec et plura peti possint, subiecto ζήτει vel ἔστιν ἐν τῷ . . (καὶ πλατύτερον ἐν τῷ Ἀπατούρια v. Δόρπεια) indicari; nam quae huiusmodi formulam prae se ferant ad lectores, non ad lexicographum (ut fit in Etym. M.) esse referenda non modo librorum auctoritas, quibus ista pleraque desunt, sed ipsarum annotationum color persuadet. Velut quae hodie sunt expulsa, Αὐξίλια. ἔστιν ἐν τῷ Ψιλος. Αὐξητική. ἔστιν ἐν τῷ Γεννητική. Post v. Γενεάς: ζήτει ἐν τῷ Ἀπόνοια κτλ. nempe vocis exemplum luculentum, e Procopianis eruendum

esse. Huc adde *Γενικαὶ ἀρεταὶ δ'*. Semel originem testimonii nudum indicavit lemma, sub *v. Ζηλωσαι*, ubi *Ἡρόδοτος* declarat ex *v. Ἡρόδοτος* Iuliani locum esse haustum. Sed observationibus rerum in aliis angulis delitescens, quae potissimum Byzantinos allicerent, nulla glossa pluribus abundat, quam una *Στήλη*. Nos quantum per codices licuit omnes fere delivimus vel uncis circumscripsimus; eandemque rationem in maxima parte glossarum interpolatarum vel repetitarum, quibus Suidas suas ipse copias expilasse videbatur, constanter secuti sumus, modo cubilia hominum sedulorum mire latitantia maturo possem investigare. Nam incredibilis illorum industria fidem propemodum excedit, qui non solum levissimas res annotatione dignas habuerint ac describant, sed argumentum glossae cuiuspiam ter quaterve dissitas in sedes rapiant; nec vero sollicite cavent ne manum clandestinam vestigiis imperitae festinationis notatam deprehendamus. Sic opera facillima perspicitur gl. *Δραχαρνεῦ* in tres glossas transfusam, verba gl. *Ἀετίτης* (quae codex A. verisimiliter dedit, *Ἀ. καὶ ἀχάτης καὶ λυχνίτης εἶδος λίθου*) duabus materiam praeuisse, quarum omnium fons fuit *v. Χρυσίτης*, grammaticam autem glossam *Ἀπλᾶ καὶ διπλᾶ καὶ πολλαπλᾶ καὶ πάντα περισπῶσι τὰ τοιαῦτα. ἀργυρᾶ, χρυσᾶ, κεραμεᾶ ἀπὸ τοῦ κεραμεοῦν, καὶ φοινικῶν ἀπὸ τοῦ φοινικιοῦν*, particulatim in gl. *Ἀπλᾶ, Πολλαπλᾶ, Χρυσᾶ* fuisse distractam: ut mittam supra (2.) commemorata. Sed prae ceteris insigne specimen illius industriae praebet *v. Χημεία*, quam duae manus ex eadem gl. *Διοκλητιανός* sibi sumpserant instruendam. Verum sufficit hanc in rem ad locos in *v. Ἀγαπητόν* collectos ablegare. Ergo cum glossae vel particulae glossarum repetitae per totum opus disseminatae sint, quarum vim et varietatem infinitam paene singulis in paginis annotatio suppeditabit, earum indagatio multiplicem usum criticis affert: primum ut comparatis inter se tot eiusdem praecepti fragmentis fontes glossarum ac primitivae sedes eruantur, deinde loci scriptorum ut emendentur suppleantur redintegrentur socordia librariorum mutilati vel depravati. Hac enim tutissima via plurimis auctorum testimoniis salutem et inopinatam medelam parare licet, ubi sermo hiat neque coniectura quantumvis acuta potest ad probabilem exitum pervenire. Documento sit instar aliarum gl. *Κύκλωσις*, cui lucem et integritatem ex altera *Περίεπτυσαν* recuperavimus serius observata. Neo tantum in his altioribus criticae quaestionibus iuvat ex latebris protraxisse, quae faciem quasi plenissimam unius glossae reddant, sed in levioribus etiam argumentis, ubi particulas cognatas vel finitimas in summam collegimus, regitur ac firmatur iudicium de scriptura ex ambiguis et dissonis codicum lectionibus concinnanda. Vide glossas eiusdem ordinis *Μεσόγειων, Ὑπόγειων, Χρυσόγειων*. Porro contractiores sunt, quas ex aliis uberrimis suspiceris in epitomen missas, diligentior autem comparatio doceat a diversis fontibus esse profectas: ut *vv. Μηλιακὸν πλοῖον* et *Τὸ Μηλιακὸν πλοῖον*. Sed nolumus nunc singulatim ista cumulare, cum harum rerum delectum et varias cautiones abunde suppeditent Addenda nostra. Nam ipse procedente demum opere mirabundus in multas lacinias incidi, quas nemo neque expectet alicubi latitare nec facile queat indagare, nisi mentem intentissimam ac memoriam in minutiis parum fructuosus defigat. Numquis enim opinione praesumat locum sub gl. *Καιρός* propter vocem *καίρια* inculcatum, *Ὁ δὲ Ἰουστινιανός, εἴτε ὑπὸ γήρωσ τὰ καιρία οὐ φρονῶν, εἴτε ἄλλως ἐμελλε τὴν ὀρθογνώμονα περὶ Χριστοῦ δόξαν διακυκλήσειν, εἰ μὴ ᾤχετο ἐξ ἀνθρώπων*, ex gl. *Ἰουλιανὸς Ἀλικαρνασσεύς* cum vitiosa scriptura nominis *Ἰουστινιανός* ab homine negligentissimo decerpi potuisse, qui per festinationem ne membrum quidem illud, *εἴτε ὑπὸ τοῦ γήρωσ τὰ καιριώτατα οὐ φρονῶν*, intactum siverit? Sed quantopere Suidas coniunctis lectorum et librariorum fraudibus infectus fuerit, posthac etiam novis exemplis declarabitur.

4. Hinc cursus nostrae narrationis ad alios auctores deflectit, unde non unum genus accessionum manavit. Pauca quidem interveniunt, quorum neque consilium divinare licet neque auctoritates. Saltem conviciorum in Polyeuctum patriarcham iactorum, quae supra I, 2. disceptavimus, architectum appellat codicum annotatio sub v. *Θρασύμαχος: σχόλιον Μιχαήλ μοναχοῦ τοῦ Νοσσαῖτου*. Contra latet nos quicumque pia mente commercium epistolicum Chrysogoni confessoris et Anastasiae sub v. *Χρυσόγονος* interposuit, quod sive colorem spectamus sive longitudinem digressionis, prorsus a Suidae rationibus abluat. Nec magis intelligitur quo referenda sit annotatio nunc eiecta *Μὰ τὰ λάχανα*, formulam quandam Armeniorum perstringens; fuit enim qui lecta glossa *Ῥαδαμάνθους ὄρκος* plebeium iurandi morem observari iuberet (*σημεῖον τοῦτο περὶ ὄρκου*), unde prodiit talis sententia: *σ. τοῦτο περὶ ὄρκου. ὃ καὶ νῦν ἐπιχωριάζει. πολλοὶ γὰρ πρὸς λάχανα ὀμνύουσιν, εὐορκίαν ἐπιδεικνύμενοι. ἐπιχωριάζει δ' εἰσέτι καὶ τοῖς ἔλλογίμοις Ἀρμενιακοῖς τὸ Μὰ τὰ καλά*. Ubi vel liber A. monet ut duplicem interpolantium manum distinguamus, ab novissima autem aetate suspicemur profecta: *ἐπιχωριάζει δ' εἰσέτι . . . Ἀρμενιακοῖς τὸ Μὰ τὰ λάχανα*. Porro recentem sapiunt originem et *Ioannis Damasceni* versiculi duo, *τὴν ἀγριωπὸν ἀκρατῶς γαυρουμένην* (v. Add. in v. *Ἀγριωπός*), et alter bis inculcatus cum auctario (v. in v. *Ἀνειμέναι* et initium dicti apud Etym. M. v. *Ἀνειμένη*), *Ἀνειμένων πόλοιο παμφαῶν πτυχῶν Μύστης ὄρα*: et versus politici *Michaelis Pselli*, quos hodie constat tribus in glossis (vide Küsteri praef. p. II.) omni fide destitutos e Zonara illatos esse.

Verum haec leviora sunt. E scriptoribus autem quibus abusi sunt lectores semidocti, primus expendi debet Athenaeus. Illum igitur vidimus (I, 5. II, 9. p. LIV.) in solis comicorum titulis laudari, sic tamen ut istud *ὡς φησιν Ἀθήναιος* aut ab Eudocia praetermittatur aut gravissimas ob causas in suspicionem adducatur; in aliis vero quaestionibus, quarum materiam videtur offerre debuisse copiosissimam, ab lexicographo (II, 12.) non adhibitum fuisse. Nam quod Küsterus levi specie commotus duos priores Athenaei libros, quorum hodie superest Epitoma, sibi persuaserat integros Suidae praesto fuisse, sola nititur glossa *Ἄρειν*. Atqui formulam convivalem una cum testimoniis poetarum comicorum ille sumpsit ab eo Lexico Rhetorico, quod in Seguerianis extat. Ergo demptis locis, qui pertinent ad indicem poetarum, modicus relinquitur glossarum numerus, isque totus e duobus Epitomae libris decerptus. Quamquam repugnare videntur electa quaedam, quorum tabulam e reliquis libris congestam post decessores nostros in Auctorum Indice servavimus intactam. Sed gl. *Κατέσειε* et *Ναῖς* non Athenaeus sed Photius et Harpocratio praebuere. Gl. *Φαλλοφόροι* (quod vel voces *ἐκ βύβλου δέρματος* misere consarcinatae arguunt) e gl. *Σῆμος* fluxit, huic autem post memoriam opusculi *περὶ παιάνων* quae subtextuntur temere quaesita, ea lector l. XIV. sub mala praescriptione, *ἐν τούτῳ δὲ μνημονεύει μουσικῶν τινῶν ἰδεῶν τούτων*, festinans paravit. Gl. *Μενεκράτης* cum notissima libri VII. (in annotatione Küsterus posuit VIII.) narratione nihil commune habet praeter argumentum simillimum. Contra quae eidem libro VII. debetur appendix gl. *Ἀφύα*, satis diligenter huius verbis respondet. Dein auctarium gl. *Τιμόθεος* exorsum ab verbis, *Ὅτι Ἀλέξανδρος φιλήκοος ἦν εἴπερ τις ἄλλος τῶν μουσικῶν*, quod sedem haud aptiorem invenit inv. *Ἀλέξανδρος*, derivatum illud e glossa collecticia *Ὀρδιασμάτων*, nihil est cur ad Athenaeum revocetur. Perversum gl. *Πολύευκτος* errorem, qui nomen fabulae in poetam scenicum convertit, ne Küsterus quidem ausus est in Suidam transferre. Superest omnium pessima *Σωσίβιος Λάκων*, quam apparet liberius ex copiis l. XIV. p. 621. esse compilatam; ac si quis consideret et narrationem

apud Athenaeum eam subsequi, quae glossae Σῆμος augendae pabulam attulit, et observationem ab eadem formula ἐν τούτοις δὲ ἱστορεῖ καὶ τοῦτο inchoari, merito coniectet utramque glossam eidem artifici deberi. Sed incredibili socordia quisquis fuit non solum ἐν τούτοις inculcat, non praegressa librorum mentione, sed confinxit etiam titulos, cum clausula sueta καὶ ἄλλα. His igitur profligatis res ad glossas et eclogas Epitomae duorum priorum librorum redit. De quibus quid existimandum sit vel ex illa congerie, quam gl. Ἀθήναιος talibus verbis introducit, ἐν ᾧ μνημονεύει, ὅσοι τῶν παλαιῶν μεγαλοφύχως ἔδοξαν ἐστῖαν, facile potest cognosci. Cumulantur enim res mirabiles, quae versantur in antiquitatibus conviniorum, ex Epit. p. 3. et 4. temere nec sine erroribus arreptae et ab aliis lectoribus per varias lexicī glossas diffusae. Hanc autem farraginem aliae continuant, ut v. Ἀπίκιος, Ὀμηρος (p. 685.), Ὀρχησις, Πάμφιλος, Πίθυλλος (unde profecit aliquis in v. Περιγλωττίς), Τιμαχίδας, Φιλόξενος, partim per extremam ignaviam corrasae, ut v. Πυλάδης, in quibus Byzantini tantopere sibi placuerunt, ut frivolum istam materiam in plurimos glossarum quasi rivulos diducerent. Interdum etiam eiusdem scriptoris nomen adhaeret, velut in pusillo dicto v. Ῥώμη: Ὅτι τὴν Ῥώμην ἐπιτομὴν τῆς οἰκουμένης εἶπεν Ἀθήναιος. Quodsi tot annotationes unam in summam colligimus, nusquam color earum glossarum apparet, quas certum est a Suida profectas et in consilium operis suscepti quadrare. Nec quisquam opinetur hunc in duobus libris substitutum fuisse, cum largissimam materiam illud antiquitatum cornucopiae decerpendam praebere. Contra lectores tam effusis studiis raram captabant eruditionem, ut quibuslibet ac levissimis lemmatis Athenaeum ne diligenter quidem lectum appingerent. Vide v. Καταιονῶσι et glossam Ἀκῆματα misero panno decoratam: nam cum Athenaeus priscas balneorum rationes illustrans sic tradat, ἴσασι (ἤρωες) δὲ καὶ λουτρὰ ἄκη πόνων παντοῖα et quae sequuntur, imprudens homo locum sabornavit, exordio praemisso puerili, Καὶ ἄκη πόνων, τὰ λουτρὰ κτλ. Quaedam etiam cum codicibus expulsa sunt, ut v. Βράβηλα. Itaque speciosas symbolas omnes serius invecetas esse contendimus.

Minor Pausaniae fuit usus, quem in vitis hominum illustrium aliquoties adhibitum, sed adeo negligenter monuimus (p. LXI.) esse descriptum, ut manus alienas suspicari debeamus. Nam si quis animum ad glossam nunc sublatam Ταῖνία advertat, quae prolixis verbis rem frivolum e Pausaniae narratione v. Μίλων traduxerat, facile coniectet in alias etiam particulas importunam sedulitatem potuisse grassari. Huc accedit alia fraus olim in v. Λεοντίσχος a lectore quodam illata, qui per festinationem argumenta gl. Σώστρατος misere perturbavit. Nec prudentius egit alter, qui eodem abusus fonte insto plenius auctarium in gl. Ἀχροχειρίζεσθαι immisit; quippe digitos secutus, postquam commenticij nominis Ἀχροχερσίτης causam indidem attulerat, subiecit etiam narrationem alienissimam, ἣν δὲ καὶ Λεοντίσχος, Μεσσήνιος ἐκ Σικελίας, παραπλησίως ἀγωνιζόμενος. οὗτος δὲ ἐπάλαμει. Maximus tamen error inest ipsi glossae Σώστρατος, ubi novissima διδαχθῆναι δὲ αὐτὸν παρὰ Κλεάρχῳ μαθητῆι Εὐχείρου τοῦ Κορινθίου καὶ Χείλωνος Πατρέως primum intercepto membro, quod ad Pythagoram statuarium spectat, conflata sunt; tres autem ultimas voces numquid credat e Pausaniae verbis, quae post longam intercapedinem ad aliam athletam transeunt, Χείλωνι δὲ Ἀχαιοῦ Πατρῆϊ δύο μὲν Ὀλυμπικαὶ νῆκαι πάλης ἀνδρῶν, μία δὲ ἐγένετο ἐν Δελφοῖς κτλ., ab litteratore mentis sanae decerpta cum praegressis sociari potuisse? Nempe Suidas saltem rudimenta litterarum perceperat. Sed plane gemellum stuporis ac temeritatis documentum videmus in gl. Κλειτόμαχος (ubi v. annot.) editum, unde colligimus Pausaniam lectores inter Byzantinos infimi subsellii nactum esse. At

nihil huiusmodi commissum in longioribus glossis, quas Suidas suo Marte deprompsit, ut vv. Πολυδάμας et Φιλοποίμην. Nam quod gl. Ἄγεις posuit, ubi debuerat Ἀγησίπολις, id haud aegre condonabitur. Tandem exortus est extremi ingenii magistellus, qui lemmati Νίκων aspergeret narrationem Pausaniae de Theagene copiosam, quasi locus communis νικῶν sive clarissimorum victorum esset exornandus.

Nonnulla suggestit etiam Herodianus historicus, cuius interveniunt loci paucissimi. Huic una debetur narratio brevis de Septimio Severo (v. Σεβήρος, cum parte gl. Βυζάντιον) quam miror ni Ioannes Antiochenus (v. supra II, 8.) inter tot copiolas historiae augustae suppeditavit. Porro duo tantum flosculi relinquuntur, in vv. Ἀνάθεσις (propter formulam τριῶν ἡμερῶν αἰτήσαντες ἀνάθειν) et Καθοσιούμενος, ubi quod verbis Ὁ δὲ πρὸς τε ταῦτα ἀγανακτήσας interponitur talis explicatio, quam vix potuit nisi lector ipsius Herodiani conficere, Ὁ δὲ ἀγανακτήσας ἐπὶ τῇ τῆς ἀρχῆς παραλύσει, dubites num a Suida profecta sit. Sed de hoc iudicium penes alios esto. Nos enim satis habemus gl. Ἀμάστις removisse, cuius errorem Küsterus in Suidae piaculis numeravit. Extat vero nudum lemma cum hoc exemplo: Ἀμάστις. Πείθουσιν ἄνδρα γενναῖόν τε καὶ ἀμάστιν εἰσελθόντα ἀποπνίξαι τὸν Κόμοδον, ὄνομα Νάρκισσον. Apparet auctorem glossae, qui vocis nullam invenerit interpretationem, ad tantum portentum obstupuisse; sed perversis oculis utebatur nullaque Graeci sermonis scientia, qui rectum ἀμαστήν apud Herodianum non legeret aut depravatum non agnosceret. Verumtamen Byzantini lectores quam obtusis sensibus praediti fuerint, Zosimi demonstrat narratio post gl. Κρίσκης olim invecta, quam exordiuntur verba Πρίσκος ὄνομα τοῦ υἱοῦ Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου: nempe voluerant Κρίσπος, Zosimi scripturam.

Prae ceteris autem Comicus cum Scholiis, quorum vestigia repperissent per totum opus frequenter sparsa, oculos hominum studiosorum advertit; nec post tot specimina quisquam expectet in hac parte cautius eos esse versatos, sic ut iniuriam Suidae nullam inferrent. Enimvero plerumque nihil illi spectasse videntur, nisi quam plurimis opibus ut eum larga manu locupletarent, neque necessitatem et usum ex consilio lexi curabant. Hinc strophae scenicae primordium describunt, tanquam tirones instituendi forent: Στροφή. ἐκ τῶν Ἀριστοφάνους Ὀρνίθων ᾠδή, ἦτοι στροφή· Μοῦσα λοχμαία, Ποικίλη, μεθ' ἧς ἐγὼ Νάπαισι χορυφαῖς τ' ἐν ὄρειαις Ἰζόμενος μελίας ἐπὶ φυλλοκόμου, καὶ τὰ ἐξῆς. Porro versus novem ex Aristophanis Ranis sub Τοία Στυγός σε μελανοκάρδιος πέτρα, in quibus splendorem orationis admirabantur, simpliciter apponunt, nec verbum amplius. Iam quis causam eius glossae capiat, quae sub Εἰ μὲν οὖν ἄνθρωπος tres Comici tetrametros cum Scholiis interpolavit, nec tamen particulas istas attingit, nisi succurrat auctior gl. Λοιδορεῖσθαι τοὺς πονηροὺς οὐδέν ἐστ' ἐπίφθονον, unde superior manavit. Hactenus merito valet reprehensio Küsteri, modo possessores Suidae perstringat: *Hic et alibi saepe iudicium compilatoris requiro, qui multa auctorum loca lexi huic inseruit, non res et sensum, sed tantum seriem litterarum spectans.* Multo minoris operae fuit, quod isti versiculum poetae citra necessitatem continuant, proximis adiungendis: ut in v. Ἐλλειν accidit, quod Küsterum fugit, ubi post senarium Μὴ νῦν περὶ σαντὸν εἴλλε τὴν γνώμην αἰεί et Scholium cum testimonio Thucydidis haec inopinato sequuntur, ἀλλ' ἀποχάλα τὴν φροντίδ' ἐς τὸν ἄερα πτλ. Longe maximum tamen additamentum eadem, opinor, manus contulit ad amplificandam gl. Νομάδεις. Cf. supra II, 10. Plus etiam sibi concessit, qui mirabilem appendicem gl. Καινοτομεῖ

subiecit: "Οτι τὸ καινοτομεῖν ἐπὶ τοῦ ἄρχειν. Ἀριστοφάνης· Τοῦτο γὰρ ἡμῖν ἀντὶ ἄλλης ἀρχῆς ἐστι. καινοτομία. Cf. v. Ἀντὶ ἄλλης ἀρχῆς et supra II, 10. extr. Quo minus inexpectatum accidit commentum stulti hominis, qui Κολάκρετον appositis poetae versiculis extudit. Similiter gl. Τυννουτοῦ post Τοῦνεκα irrepsit, cf. IV, 1. extr. Tot igitur exemplis levitatis et infantiae collectis hoc lucratur, ut errorem plane singularem, qui glossam Ἐμβολα turpiter infecit, a Suida liceat amoliri: Ἀριστοφάνης· Ἐμβολον δέ φασι χρημάτων ἔχειν αὐτόν. Ubi homo temerarius caeco impetu, quod apud Comicum nemo prodidit inventum, e σίμβλον fabricatus est ἔμβολον. Nec dubitabimus etiam gl. Τίμων insiticiis copiis liberare, quorum causa Suidam summi stuporis Porsonus insinulavit. Nam quae feruntur, Τίμων. ὄνομα κύριον. ὁ μισάνθρωπος καλούμενος. ἦν δὲ καθαρός: ex iis nihil lexicographo relinquatur nisi ὁ μισάνθρωπος καλούμενος, quibus aliquis abusus est ad praegressa coloranda, Τίμων. [ὁ μισάνθρωπος καὶ αὐτός] φιλόσοφος ἀποστρεφόμενος πᾶσαν ἀρεσιν. Item v. Στρουθός. οὕτως Ἀττικοί industria lectoris auxit Scholio Comici prorsus alieno, sed pellexit eum interpretatio στρουθῶν, cum Aristophaneis Σοφοκλέους μελῶν, κίχλων adiecta vidisset αἱ κίχλαι εἶδος στρουθῶν. Quodsi studia magistrorum nihil intermiserunt, quominus Suidam omnibus modis collocupletarent, licebit etiam Scholium in v. Κώδιον ultra fas expromptum ad horum ingenia transferre, praesertim clausulam vulgaris notae, ἦν δὲ ὁ Κρατῖνος τῆς ἀρχαίας κωμωδίας, πρεσβύτερος Ἀριστοφάνους, τῶν δοκίμων ἄγαν. Etenim istis haud raro satisfacit qualiscunque Scholiorum sermo, unde glossam perficerent vel illustrarent. Itaque gl. Ταχυναυτεῖ exemplum ascripserunt, quod Scholium in v. Πάραλος ministravit; item curiositatis causa gl. Κατερρουηκιῶν γυναικῶν ex v. Φενάκη male ductam; sed miserrime gl. Διαφορομένης, quae plane debet expungi, conformarunt: ubi Διαφορομένης τῆς κρόκης ὑπὸ τῶν ἀλεκτρονίων. ἀντὶ τοῦ διασπωμένης nata sunt ex Aristophaneis cum Scholio, τῆς κρόκης φορομένης ὑπὸ τῶν ἀλεκτρονίων. ἀντὶ τοῦ διαφορομένης, διασπωμένης, his vero successit locus Arriani breviter compositus e pleniore glossa praegressa Διαφορῆσαι. Interpretationes autem in lemmatis locum abisse demonstrat etiam gl. Πλατύπιλος. κυνῆ Θεσσαλῖς. περὶ πῖλου λέγει, perperam ex gl. Ἠλιοστερῆς κυνῆ sive Scholio Sophoclis ducta. Adde gl. sublatam Προσπεφυκότης. Quo magis verisimile fit ab istis lectoribus profectas esse glossas Herodoteas, quibus lemma praefigitur ex interpretatione natum: ut Ζυγοί et Σκέπη, vide p. XLV. Verumtamen ista de tot fraudibus ad hoc unum genus accurate cognoscendum sufficiant.

5. Sequitur ut ordines quosdam glossarum et quasi locos communes, unde magna vis interpolationis Suidam obruerat, breviter complectamur. Sunt autem, missis sacris glossis (vide p. XLV.), versus onirocritici, formulae proverbiales, sententiae morales, glossae syntacticae quaeque ad fabricam verborum spectant. His minora quaedam capita sunt affinia, velut *oraculorum* collectio sub glossis Χρησμός.

Exordiamur ab iis glossis, quae simplicem poscunt narrationem, id est, ab versibus onirocriticis. Olim enim aliquanmulti senarii per totum opus sparsi ferebantur, qui succinctam somniorum quorumvis interpretationem traderent. Eorum pars ad *Astrampsychem* redit, pars ad *Nicephorum Patriarcham*, utrosque Nic. Rigaltio secundum litterarum ordinem vulgatos, quorum ille numeros quam voces dedit tolerabiliores, hic legem versuum politicorum secutus misere sententias expressit. Specimen Nicephori hoc esto: Ἰχθύας ἔσθειν οὐκ εὐηθές σοι τόδε. Nec differt auctarium, si rem spectes, supervacuum, Σημείωσις ὄνειράτων διὰ στίχων, quod

Millerus nuper edidit *Catalogue des MSS. Grecs de la Bibl. de l'Escurial* p. 168—170. Versus igitur plerique Suidam immigraverant, citra poetae quidem praescriptionem; quos ab alterutro codicum praestantissimorum aut in marginem coniectos una cum formula λύσις ὀνειρώου aut praetermissos cum Gaisfordus magnam partem uncis notasset, ego prorsus eodem unde pedem intulerant ablegavi. Monuit autem Küsterus praef. p. II. de libro A. *In eo enim multa loca, quae in recentioribus MSS. omnibusque edd. hodiernis reperiuntur, vel omnino desunt, vel recentiore interdum manu ad marginem scripta sunt: veluti versus onirocritici, qui ex Astrampsycho vel Nicephoro in Lexicon hoc translati sunt.* Idem paulo magis circumscripse sub v. Ἀγὼν ἔτος: *Idem autem in antiquissimo codice Paris. A. non in textu, sed in margine scriptus est; ut et reliqui versus ὀνειροκριτικοί, qui in Suidae Lexico hodie leguntur.* Hinc eius tertiam annotationem recte licebit interpretari post v. Πολλόν: *Ceterum in antiquissimo MS. A. et hic et reliqui versus onirocritici omnes desunt.* Tandem omnes ille damnat, a recentioribus insertos esse pronuncians post v. Γελῶν. Quodsi quis recordetur quanta superstitione principes Byzantinorum (vide p. LXII.) artes et libellos de somniorum interpretatione coluerint, vix maiorem fidem habebit glossis frequenter ex Artemidoro decerptis, quae tacito nomine scriptoris (non enim huc facit v. Τευτάζειν) parum fideliter illius orationem reddunt. Quamquam his adeo codicum auctoritas favet, ut satis maturo debuerint inculcari; diversam vero faciem ostendit interpolata glossa Ὀνειρος, partim ex Artemidoreis contexta: Ὁ. Ἀγκῶνες οἱ εἰσι μέρος τῆς οἰκίας, καὶ πάντα τὰ προσπτησόμενα κατ' ὄναρ τὸ κόσμον τοῦ βίου σημαίνει. Ἐνύπνιον. ὅτι τὰ ἐνύπνια ἀναπεροῦσιν ἄφρονας. Ab istis vehementer discrepant liberius formatae definitiones Artemidori sub v. Ἐνύπνιον.

Pergamus ad proverbia formulasque proverbiales, quibus Suidas abundat. Sunt vero partim germana cumque primordiis lexicī coniuncta, magnam tamen eius partem occupant aliena, quorum fraudes certis notis possunt deprehendi. Legitima quidem proverbia, hoc est, communi Graecorum usu tradita, suppeditabant apparatus studiorum sophisticorum et Lexica Rhetorica (v. quae supra breviter significavimus II, 4. 5.), eaque certatim commentariis singularibus post Aristophanem Byzantium explicabantur. Omnino paroemiarum notitia doctrinam postulabat exquisitam, quae non solum in antiquitatibus institutisque populorum habitavit, sed insignem etiam locam in historica philologiae parte coepit obtinere. Sed ipsos ordines et labores scriptorum praestat e *Schneidewini* prooemio peti, quod Paroemiographis Graecis praemisit. Iam postquam et Diogenianus (p. XLI.) id argumentum tanquam necessarium caput eruditionis in thesaurum rerum et verborum introduxerat, et rhetorum disciplina his pigmentis tersam orationem colorabat, nullum iam lexicon inveniebatur quin proverbia cum aliqua causarum explicatione reliquis opibus immisceret. Hinc etiam accidit ut indices proverbiorum et commentationes uberrima historiarum et morum scientia refertae contaminarentur et in epitomarum formulas abirent. Proinde nemo miretur aut tantam Diogeniani nostri tenuitatem aut lexicographos, praesertim Photium et Suidam, tam verbis quam enarratione rerum antiquarum toties cum scriptoribus proverbiorum ac Scholiis aliisque doctis interpretibus conspirare; quorum Diogenianus in hac quoque parte differt a Zenobio, quod varias eiusdem proverbii sententiaeque species (item ut apud Suidam usu venit) annotare solet ad usum ceterioris aetatis accommodatae. Velut in Ἀγορὰ Κερκώπων: ὁμοία τῇ Λύχου δεκάς καὶ Κρωβύλου ζεῦγος. In Ἀγέλαστος πέτρα: ὁμοία, Στεγανώτερος Ἀρεοπαγίτου, καί, Ἐς Τροφωνίου μεμάντευσαι. In Ἀγαθῶν θάλασσα: τὰ ἐναντία Κακῶν Ἰλιάς καὶ Λίρνη

κακῶν. Ubi quod liber unus aut alter talibus vacat additamentis, id ipsum arguit ea serius illata fuisse. Sed prae ceteris misera sors affixit Hesychium: cui quae praefigitur Epistola, post Diogeniani reprehensionem luculentum totius materiae recensum et explicationes originis sperare iubet; at Epitome superstes nunc amplam praebet doctrinam, nunc exilem et nudam dicti memoriam eamque haud raro locis alienis interpositam, ut, Ἡ χάραξ τὴν ἀμπελον. παροιμία. Verumtamen nostram rem agamus, hoc est, thesaurum Suidae proverbialem. Constat autem *Andream Schottum* integras XIV. centurias adagiorum e Suida conguessisse, quas Paroemiographis suis Graecis (Antv. 1612.) inseruit, sic ut pauculis defungeretur annotamentis parumque fructuose confectis. Nam quid Suidas proprium in hoc genere haberet quidve conferret ad auctores similes referendos vel diiudicandos, aetas illa quaerere neglexit. Nos universe monemus illi fontes novos et uberiores nec praesto fuisse nec tum adesse potuisse; quod enim perditam collectionem indicare videtur sub finem gl. Ἐρως, τέθειται δὲ ἐν τῷ περὶ παροιμίας ἐν τῷ *Ε στοιχείῳ*, respexit nisi fallor ad titulum quempiam inter Eclogas Constantini: v. II, 8. p. LXI. Contra molestam appendicem gl. Ἡ δ' ὅς p. 821. καὶ παροιμία Ἡ δ' ὅς· οὐ μόνον ἀντὶ τοῦ ἔφη, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ πολλῶν τίθεται ἀντὶ τοῦ ἔφασαν, quae verbis vulgaribus observationem recoquit praegressam, e sylloge collaticia, qualem codices Vaticanus et Bodleianus servant, lector quisquis fuit inculcavit. Nempe cum scriptores labentis aevi flagrantissime luminibus proverbiorum (v. nostram Hist. litt. Graec. I. p. 539.) inhiarent, horum corpora coacervata sunt et formulis etiam popularibus aucta, quae similitudinem proverbiorum referre viderentur. Itaque Suidae marginibus non modo παροιμία (quod plerumque factum in A. V. nec semper ex iis enotatur), sed magnus paroemiarum numerus (praemisso παροιῶν vel παροιμῶν) tam ex aliis glossis (vide vel annot. sub v. Φακαῖ) quam e multorum rivulis ductus committi solebat; nec raro videmus in ipsam lexicon, ubi repugnat series litterarum (ut Δελφῖνα νήχεσθαι διδάσκεις et Δ. πρὸς τὸ οὐραῖον δεῖς post v. Δελφοί), tales observationes immigrasse. Nos quidem indicia codicum secuti plurimas interpolationes cum praescriptione παροιμία reiecimus, eademque via plura posthac licebit exterminari. Sed ultra processit hominum studiosorum diligentia lepidisque versiculis Aristophanis appinxit istud παροιμία vel explicationem communis quasi dicti: ut in v. Διοίσειν vel in Χοᾶ factum, Καὶ παροιμία, Ἐξ χοᾶς χωρήσεται. ἐπὶ τῶν παραληρούντων. Ibi vide Küsterum, itemque sub vv. Τῆς μωρίας, Φειδίας, Χοροῖσι, Ψωλὸν γενέσθαι, aliis. Aetatem istorum commentorum recentissimam prodit luculente glossa posterior Ἰπνος, ubi post glossam sacram exhibetur scitula sententia: Ἰπνος δ' ἀπέστω γλυκύθυμος ὀμμάτων. ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν βουλομένων φιλοσοφεῖν. Huc referendum quoque codicis V. additamentum in v. Τηλία: διὰ δακτυλίου μὲν οὖν ἐμὲ γ' ἂν διελκύσας. ἐπὶ τῶν πάνυ λεπτῶν. ὁ δὲ ἀντίρρηκεν κτλ. Scilicet magistri haec ornamentis orationis limatae voluerunt annumerari. Sed subsistendum in hisce lineamentis fraudum apertarum, quas multis exemplis non attinet illustrare aut peritis criticis ostentare.

Huic autem generi nullum magis cognatum est quam sententiae morales sub locis communibus accumulatae. Nam saecula Byzantina mirifice collectionibus florum, anthologiis, gnomologiis undecunque decerptis oblectabantur; quam in rem sufficit tituli Constantiniani *Γνωμῶν* meminisse. Neque moribus emendandis thesauri sententiarum prodesse debuerunt aut ad prudentiam civilem valere, sed quos pectus non faceret disertos, iis instrumentum elegantiae parabatur, ut cursum orationis luminibus selectis commode distinguerent dictisque gravissimis altius

exaggerarent. Iam ipsas proverbiorum formulas, quae viderentur ad eandem notionem et observationem vitae vulgaris transferri posse, tum solebant sub τόποις sive locis annotare: velut quae pertinerent ad ἀδύνατα, ἀνήγνυτα, ἀχρηστα. Suidas v. ὄνου πόκαι. ἐπὶ τῶν ἀνηγνύτων καὶ μὴ ὄντων λέγεται ἡ παροιμία ὑπὸ τῶν Ἀττικῶν· ὡς περ αἱ τοιαῦται, Πλίνθον πλύνειν, Ἄσκον τίλλειν, Χύτραν ποικίλλειν, Ἐς κόπρον θυμιᾶν. Vide nos in v. Πλίνθος. Talia vero cupide lectores ex aliis in alias glossas transcribunt, ut, Ἐς πῦρ ξαίνεις. ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων. Ἐς τέφραν γράφεις et similia. Longius tamen progressi glossas singulares, quamquam huic proposito non admodum favebat Suidas, tanquam locos communes sibi delegerunt, quibus utiles vel decoras scriptorum sententias itemque descriptiones morum insererent paulatim augendas. Ut praecepta vocesque moralis doctrinae congeruntur sub vv. Ἀέριον, Ἀχρηστα, Γνώμη, Δίκαιος, Πλεονεξία, Πολιτικός, Προδότας, Σύμβασις, Τύχη, Φθόνος. Ex his Ἀέριον, quod scribendum erat Ἀκαριαῖον, cum dicto D. Marci Caesaris per interpolationem obtrusum esse dudum concessit Küsterus. Item sub v. Δίκαιος homo pius opes ecclesiasticae lectionis exprompsit; nec dissimiliter in v. Πλεονεξία. Porro sententiis moralibus Γνώμη praefigitur in Πολιτικός et Σύμβασις: unde portentum glossae Γνώμη explicatur, in quo Küsterus haeserat, Γ. Οὐδὲν δίκαιωμα τῶν ὀπλων ἰσχυρότερον. πᾶς γὰρ ὁ δυνάμει προὔχων δικαιότερα ἀεὶ καὶ λέγειν καὶ πράττειν δοκεῖ. Nempe lector otiosus vocem sententiosam in marginem coniecit, γνώμη ut solet praefixæ; quod ipsum continuis παρὰ Σοφοκλεῖ et seqq. vicem lemmatis denuo praemissum est. Simile quid commissum apparet in appendice gl. Ἀχροσφαλεῖς: ubi repositis, τουτέστιν ἐν τῷ βαδίζειν σφαλλόμενοι, quae ad praegressum historici locum spectant, superest sententia tragica de Philocteta, quam homo studiosus ad ambiguos vitae casus rettulit. Deinde quicquid pulchre sapienterque dictum adesset, sub horreis gl. Τύχη et Φθόνος (adde tertiam Χρήματα χρήματι ἀνὴρ, de qua p. LVII.) paulo liberalius congestum extat. Magis tamen mirere notionem proditoris verbosa Polybii quaestione in v. Προδότας eiusdemque auctoritate virtutem boni ducis in v. Φατέ declarari, videlicet ob Φατέον, quod in Polybianis occurrerat. Praeterea notationes morum et ingeniorum, partim exquisitis et uberioribus locis ornatae, insunt vv. Ἐρύθημα, Ἐννοῦχος, Μικροπρεπείας ῥήματα (qui flosculus est ex Aristophane tractus, similis ille gl. Ἀχρηστα), Μοναχός, qua describitur vita monastica, Σμικρολόγος, Σοβαρός, quae luminibus Aelianis completur, et quae loquacitate circulatoria splendet Σπάδων.

Postremo iuvat accessiones eas perlustrare, quae grammaticam doctrinam et fabricam verborum expromunt. Harum numerus longe maximus pertinet ad *syntaxin Graecam*. Iam quisquis exemplam Gaisfordianum evolverit, mirari debet tot glossas syntacticas, quibus Suidas in singulis fere paginis redundat, additis etiam testibus vel locis nec multis neque copiosis. Gaisfordus enim id glossarum genus reduxit vel auxit, silens ille frequenter auctoritates (plerumque tamen usus MS. A.), postquam Küsterus tacite plurimas expunxerat, iudicium secutus sanissimum. Equidem cum istas glossas, quarum partem non mediocrem Aldus introduxit, in marginibus codicum A. V. extare vel alterutri deesse (vide vel Addenda sub vv. Διαγράψασθαι, Ἐγείρω, Ἐναντιοῦμαι σοι quaeque sub v. Ὑπόλογον ex A. enotantur) perspexissem: non dubitavi centenas eiusdem ordinis in annotationem relegare, ceteras uncis separare, quoties earum fides magis internis notis quam dignitate librorum posset convelli. Nam etsi iusto saepius hi silentur me iudice recte fecerit editor futurus, qui cunctas a Suida secluserit. Hac accedit quod indicia syntaxis, quae lemmatis idem Gaisfordus subiicere solet, γενικῇ δοτικῇ αἰτιατικῇ, ab altero

codice spernuntur et, quod paulo maioris est momenti, plane desunt Photio Lexicoque Seguerano. Quis autem tam tardus ac superstitiosus est ut officinam magistrorum, quamvis codicum ignarus, in mala glossa non odoretur? Ὑπερκύπτω. αἰτιατικῇ. Ἰστέον ὅτι τὸ ὑπερκύπτω ἢ μὲν ἔσω γραφῇ ἔχει αὐτὸ αἰτιατικῇ καὶ ὁ Πλούταρχος, ἢ δὲ Χαρίκλεια γενικῇ Ὑπερκύψαντες τοῦ ὄρους. Ubi non modo verborum insolentiam mirere, praesertim cum Suidas ignoret formulam ἢ ἔσω γραφῇ, sed testes etiam allatos, Plutarchum, qui falso laudatur, et Heliodorum, cuius apud lexicographum nulla reperiatur memoria. Deinde multo magis aliquis obstupescat ad tantum errorem: Ἀθέρησις. ἐκβολή. καὶ Ἀθειῶ αἰτιατικῇ. γενικῇ δὲ ὡς τό, Κατάρχων μὲν καὶ ἀθειῶν τοῦ τολμήματος. Etenim ἀθειῶν male lectum homo festinans in istam observationem detorsit. Porro glossarum auctores exemplis utuntur Scripturae Sacrae, quibus abstinet Suidas, nisi forte voces Bibliorum insignes cum interpretum explicationibus apponit; iidem addunt interdum etiam locos Patrum ecclesiae. Easdem vero produnt auctoritates e litteris sacris petitas quotquot *Lexica syntactica* post Suidam nobis innotuerunt: videantur specimina post Etym. Gudianum edita p. 587—592. (quibus haud raro licuit apud Suidam uti, cf. vel gl. Βασιλεύω, Βασκαίνει, Ἐντροφῶ) aliud lexicon in Crameri Anecd. Oxon. Vol. IV. p. 275—307. quod interpolatoribus multam praebuit materiam; item Σύνταξις λέξεων κατὰ ἀλφάβητον συλλεγεῖσῶν ἐκ διαφόρων βιβλίων in Cod. Laurent. Pl. 5. Cod. 7. (cui similis est labor Macarii supra dictus I, 5.) adde Montfauc. Bibl. Coisl. I. p. 238. Ab his tamen recedunt observationes Georgii Lecapeni de constructione verborum, quas ab Aldo primum vulgatas e Matthaei Lectt. Mosquensibus et libello post Hermanni quaestiones de emendanda ratione Graecae grammaticae (cf. Bandini Catal. Codd. Laur. T. II. pp. 194. 266. 468. et Epistolas Georgii cum Epimerismis in Cod. Laur. Pl. 57, 24. quaeque monuit Peyronus notit. libr. Tho. Valperga-Calusii p. 34. sq.) in corpus amplissimum redigi licet; eas enim apparet e multiplici lectione sophistarum, ut Aristidis Libanii Synesii, quos tum Byzantini devorabant, in usus imitatorum esse congregatas, cumque variis grammaticorum praeceptis sic coniunctas, ut apparatus quasi sophisticum efficiant. Sed diversissimi coloris est Lexicon de Syntaxi, quod omnium vetustissimum Bekkerus in Anecdota Graeca recepit, Suidas autem non usurpavit, quamvis eandem opusculorum syllogen (II, 4.) adhibuerit. Id plerumque versatur in litteris profanis, ac testimoniis oratorum historicorumque labentis aevi, ut Arriani Appiani Dionis, affluit, quibus grammaticus semidoctus perinde notas ac reconditas structuras illustrat; habetque glossas nonnullas et locos cum Lexico Crameriano communes, unde transierant in Suidam etiam auctoritates oratorum Atticorum: vide p. LIX. His igitur diligenter perpensis nemo dubitabit quin Suidam, qui neque munus grammatici subierit nec partem ullam tanti thesauri rationibus interioris grammaticae concesserit, aliorum industria glossis syntacticis locupletarit. Corollarii loco memoramus paucis quibusdam glossis, quae nescio quid elegantiae vel Atticae proprietatis continere viderentur, ascriptum legi σύνταξις simillimumve compendium. Verum has ipsas non modo paucitas in suspicionem adducit, sed color etiam ipsius observationis. Velut in mediam gl. Τάλαντον invecta sunt: Σύνταξις. Ἀριστοφάνης. Καίτοι τάλαντου τοῦτ' ἔμαθεν Ὑπέροβλος. τουτέστι, χάνωσιν ἀναπειστηρίαν. His quidem nihil inest quod ad syntaxis rationem perducatur. Immo novissima docent Aristophanem afferri, qui testetur talento facultatem eloquentiae redemptam fuisse; unde sequitur σύνταξις lectoribus deberi. Rem extra dubitationem collocant gl. Ἀφίκετο et Ἀφίστασθαι, adde Σπουδαῖον, ubi nihil animadversione dignum exculpas. Reliquos huius generis locos collegimus in Addendis v. Ἀποθάνωμεν.

Ceterum non ignoro glossas per totum lexicon breviores esse dispersas, quae fabricam et ordines vocabulorum attingant. Sed omnes iis finibus continentur, quos Herodiani qui fertur Epimerismi nunquam migrarunt; idem apparet delectus verborum, eadem praeceptorum lex, tantaque cognatione haec inter se vinciuntur, ut communem scholae Byzantinae locum atque fetum eius aetatis, quae Suidam est subsecuta, non dubitanter agnoscamus. Unam excipimus gl. Ἐποποιῖ, in qua quicquid interiectionum apud Aristophanem invenitur ultra Suidae morem adeo cumulatur, ut quam compares alteram glossam e tot lexicographi copiis non liceat afferre. Reliqua pertinent ad genus adiectivorum μετουσιαστικὸν in εἰος, quod post dissensiones veterum magistrorum (quibus adiungi debent Herodianus iste, Theognostus et Cram. Anecd. Oxon. Vol. II. p. 285. sq.) primus ad ordines suos Lobeckius in altera ed. Soph. Aiac. 108. revocavit; deinde brevissimae glossae genitivi declinationem in terminatione ων (vide Herodiani p. 190. sqq. indiculos) praecipunt. Prioris autem classis paucae sunt quae nullam fraudis suspicionem moveant (ut epimerismus citra litterarum seriem inculcatus, Δημήτριος. ὄνομα κύριον. διμήτριος ὁ ἔχων δύο μίτρας, aut absonum commentum Χρῦσειος χεῖρ), nec desunt quae redoleant epimerismos (ut Σιδήρειος a σιδήριον distinctum); alterius tamen plurimae nituntur bonis codicibus, quorum ex fide nuper demum genitivi pro nominativis lemmatum coepti sunt revocari. Ut, Λάδωνος. ποταμὸς Ἀρχαδίας (quo defendi poterit Θοίνωνος cum Συρακούσιος iunctum): cuius ad normam restitui debent Μίνωος, Μύρωνος, alia, sublatis nominativis. Hinc suum explicatum habent glossae singulares, quae nudos genitivos tradunt: ut Λόφωνος, Λύγωνος, Λύκωνος, Πέρωνος, Προάγωνος, Πρωτοπείρωνος, Ποιμνίωνος, Ρεγεῶνος, Ρίζωνος, Ρόθωνος, Οἰκτίρμονος, Οἰνεῶνος, Φοιβάμμωνος, Χλίδωνος, alia. Quodsi quis tabulas epimerismorum levissimis illis annotamentis, quae externam nominum speciem, orthographiam, pronunciationem perstringunt, diligenter adhibeat, hanc etiam partem intelliget totam recens accessisse: velut Κόμης. ὁ λαοῦ ἄρχων. καὶ κλίνεται κόμητος (adde v. Μέλης), item Προτέλεια. πρωτόλειον δέ, aut Ἐγχειραι . . διὰ διφθόγγου —. ἔγειρε δὲ τὸν λίθον διὰ τοῦ εἰ ψιλοῦ (quamquam aspernantur libri gl. Ἐνεγκε. ἐνέγκαι δέ), cuiusmodi praeceptum invasit ipsum Hesychium, Αἰσθητά. — ἐσθῆτα δέ, ἱμάτιον. Itaque manifestis, si liberet, exemplis ostendi posset, quantis magistellorum sordibus Suidas fuerit inquinatus; nos tamen ad utiliora properamus.

6. Superant enim adhuc variae partes interpolationis, quas propter usus criticos observasse prodest. Hactenus igitur gradus et fontes incrementorum exploravimus, quibus Suidas invitus adeo pullulavit ac dilatatus est, ut thesaurus ab illo constructus multas etiam ceterioris aetatis copias easque deterrimas suscepit. Sed in istis accessionibus, quamquam nec scienter neque cum doctrinae fractu collectae sunt, apparet tamen quaecumque consilium et studium grammaticae civilis; in aliis autem nihil nisi casum et arbitria possessorum agnoscimus. Ac primum miramur alienissimos locos et observationes medias in glossas ab importunis lectoribus intrudi, sic ut e marginibus non potuerint in sedes parum aptas transferri. Nam margines quidem haud pauca servabant, quae bona malave fide librorum in ordinem videmus traducta. Velut sub v. Θασίαν cum ipso lemmate codices iungunt vulgare praeceptum, Διαφέρει δὲ θάρσος θράσους et quae sequuntur ad glossam quampiam θάρσος referenda. Porro gl. Θρασύμαχος adhaeret molesta declamatio, manu Michael monachi (v. p. LXXI.) confecta, quam lumine vocis θυννοσκοποῦσιν captus nescio quis perperam reposuit. Nec meliorem causam habuerunt, qui θυννοσκοπος inter et θυννοσκοπῶν, quae glossam unam efficiunt Aristophaneam, Comici tres

tetrametros inculcarent argumenti dissimillimi; quos incertum est num homo studiosus destinavit glossae *Θωρυκίων*. Adde conclusionem v. Σοῦ, cui quae subiiciuntur, καὶ αὐθις Ἀριστοφάνης· Σοφοῦ πρὸς ἀνδρός, ὅστις ἐν βραχεῖ κτλ. olim post gl. Σοφία videntur ascripta fuisse. Longe facilius intelligi licet quo pacto locus ex v. Μάρκελλος in marginem coniectus, ἀντὶ τοῦ ἐπαγρυπῶ. Ἦν μὲν γὰρ καὶ ἄλλως ὁ Μάρκελλος ὑπνομαχεῖν πεφυκώς, mediam orationem Synesii sub v. Ὑπνομαχῶ interrumpat. Sed a talibus auctariis multum abhorrent ea, quae gl. Θυάτειρα ex supervacuo recepit: Ὅτι Διοσκόριος Μυραῖος, γραμματικός, ὑπαρχος ἦν πόλεως καὶ πραιτωρίων, ὁ διδάξας τὰς θυγατέρας Λέοντος τοῦ βασιλέως ἐν Βυζαντίῳ. Infra sub v. Ὑποζυγιάδης ἄνθρωπος locus incerti scriptoris, Καὶ ταῦτα ὑπὲρ τῆς ἐνθέου φιλότιτος ἐμαρτύρησεν ὁ Ἀπόλλων, non magis habet quo referatur quam sententia ex v. Παμπρέπιος in gl. Ἐμποδῶν inculcata, aut clausula lemmatis Ψᾶν, cui prior pars gl. Περιοίσειν temere subtexitur. Saltem affinitatem soni sub v. Ψηφίσματα suspiceris permovisse hominem sedulum, ut annotaret ista, Ξυνήρεσε δὲ τὰ τοιάδε, εἰ ὁ Ῥωμαίων βασιλεὺς τῷ δόγματι ἐπιψηφίσαιτο. Multum omnino valuit argumenti similitudo manusque prurientes allexit ad doctrinam largius explicandam. Iam ut νικῶν exempla vidimus (p. LXXIII.) per opportunitatem glossae Νίκων ascribi potuisse, non leviolem fraudem in v. Μιλτιάδης nescio cuius error intulit, qui quae tradita fuerant de Alcibiade, traduxit ad Miltiadem, Ὁ αὐτὸς Μιλτιάδης ἐπικομπῶν ἔφη κτλ. Quamquam haec sine damno licet rescare; sed quid faciendum stultissimis commentis, quae glossam Ἀθηνόδωρος turpiter corruerunt? Ubi brevis memoria philosophi, Ἀ. Στωικὸς φιλόσοφος ἐπὶ Ὀκταουιανοῦ βασιλέως Ῥωμαίων, movit nescio quem ut e Zosimo non solum inferciret membrum omni compage solutum, ἐξ οὗ δὴ μάλιστα ταῖς Ἀθηνοδώρου τούτου συμβουλίαις ἐπέισθη, sed sententiam etiam de periculoso principatus statu, verbis tamen historici perturbatis et disiectis, quibus et Tiberius Augusti successor inseritur et, quod omnium est ineptissimum, pantomimus recens introductus. Hinc oratio provenit miris modis conglutinata, cuius intelligentiam nemo posset assequi, nisi Zosimus adesset: ἐφ' οὗ πᾶσα ἀνάγκη κοινὸν εἶναι δυστύχημα τὴν τοῦ κράτους ἄλογον ἐξουσίαν. ἐξ οὗ δὴ μάλιστα . . ἐπέισθη. καὶ διαδέχεται Τιβέριος τὴν βασιλείαν. τότε γὰρ οἱ κόλακες παρὰ τοῦ βασιλέως δωρεῶν καὶ τιμῶν ἀξιούμενοι μεγίστων ἀρχῶν ἐπέβαινον, et quae sequuntur ad ἐξέλιον usque, praesentibus scriptoris temporibus male mutatis. Dein narratio pergit: Κατὰ δὲ τοὺς καιροὺς ἐκείνους καὶ ἡ παντόμιμος ὄρχησις εἰσῆχθη, οὕτω πρότερον οὐσα· καὶ προσέτιγε ἕτερα πολλῶν κακῶν αἰτία γεγονότα. Neges longius cuiusquam temeritatem esse progressam. Sed peiorem labem suscepit historia litterarum ex v. Συριανός (v. Addenda), ubi Syriano prorsus iidem tituli librorum tribuantur, quos Procli fuisse docet glossa superior; quid quod annumeratur iis commentarius de Procli opusculo, quasi discipulo magistrum credas interpretem obtigisse. Nimirum ut lectores in glossis conferendis et invicem complendis erant assidui, monebat alicuius annotatio εἰς τὰ Πρόκλου glossam de Proclo respiciendam esse; successit autem, qui margini paene totum indicem Proclianum mandaret. Inde coaluit utriusque memoria, nec iam liquido constat quid a Syriani laboribus alienum, quid per librariorum expulsum sit.

Minus operosa fuit industria, quam lectores in augendis glossarum interpretationibus consumebant. Nempe Suidam vidimus (II, 10.) paulo parciolem in hac parte fuisse vel singulis ocis intentum ad reliquam consuetudinem parum attendisse. Quem qui supplendum sibi sumpserant, iis satis visum si nudas ut fors et ratio ferebat explicationes suas adiungerent; unde maximum

damaum fecit lexicographus, postquam accessiones illorum ipsum ordinem glossarum invaserant. Nam plerumque vix aut tam male testimoniis allatis conveniebant, ut Suidas crimen interpretis deterrimi nullo merito subiret. Huius iniuriae causa ne *Küsterum* quidem latuit in v. *Διοίσιον*: *Sane exploratum est Suidam eo quo diximus modo saepissime interpolatum esse, eamque esse rationem quare ῥήσεις ex auctoribus excerptae tot in locis lexicī huius a mente et interpretatione Suidae discrepent.* Idem tamen huius observationis immemor scriptorem suum eorandem facinorum coarguere solet, quorum culpam debebat in lectores conferre. Iam ne gl. *Ἡρίθμησεν* demum perstringamus (v. p. LVIII.) et *Ἄλα. τὰ κόπρια*, e Scholiis Homericis temere collectam, aut *Ἀἴθυια. ἡ ἕγδη. καὶ ἡ θαλαττία ὄρνις*, ubi ἡ ἕγδη ad lemma *Θυία* sive *Θυία* referendum ambigas cuius errore sit invecum, non dubito quin in gl. *Ἐἴτω. πορευέτω, συγχωρείσθω. σημαίνει καὶ τὸ ἐάν τι*, novissima pars, quae spectat ad alteram glossam *Ἐἴτω*, e margine surreperit. Porro depravatam gl. *ὑπαίμακς. διέφθειρεν. Οὐ σε κινῶν γενοσ εἰλ, Ἐθρηπίδη . . . ἀλλ' Ἀίδης καὶ γῆρας ὑπαίμακεν*, etsi Suidas posuerit, apparet tamen *διέφθειρεν* male locatum ad *εἰλεν* pertinere, quod aegre credas conditori lemmatis in mentem venisse. Par condicio glossae portentosae *Τοῖιν*, cui quae subiiciuntur *ἀντὶ τοῦ σοί, Ἀωρικῶς*, malus coniectior ariolando subornavit. Omnium vero manifestissimum (cf. p. LVII.) sub v. *Καταβολή. περιοδική λήψις πυρετοῦ. Τῶν δὲ Μακεδόνων ἐκ καταβολῆς συνερεισάντων τοῖς βαρβάροις, εὐθὺς ἐκκλίναντες ἔφευγον. Καταβολή. Δημοσθένης θ' Φιλιππικῶ· Ὡσπερ περίοδος ἡ καταβολή πυρετοῦ*, orationem recte sese habituram, modo locus historici deleta inferiore *Καταβολή* ad marginem tertiae glossae retrahatur, quae formulam *ἐκ καταβολῆς* Polybianis dictis confirmat. Nec tamen in additamentis substitit istorum studium, sed maior etiam licentiae gradus in testimoniis scriptorum cernitur quasi per paraphrasin in breviorē formam vel communem locum redactis. Id clarissime monstrat gl. *Στρατηγία*, cuius primitivus habitus fuit hic: *Πολύβιος· Ὅτι τριῶν ὄντων τρόπων, καθ' οὓς ἐφίενται πάντες στρατηγίας οἱ κατὰ λόγον αὐτῇ προσιόντες· πρώτου μὲν διὰ τῶν ὑπομνημάτων — τρίτου δὲ τοῦ διὰ τῆς ἐπ' αὐτῶν τῶν πραγμάτων ἔξεως καὶ τριβῆς· πάντων ἦσαν τούτων ἀεννόητοι οἱ τῶν Ἀχαιῶν στρατηγοὶ ἀπλῶς.* Hinc epitomen commode fabricatam aliquis in margine notarat, quam ipsis Polybianis librarii praemisissent: *τριεὶς τρόποι εἰσὶ καθ' οὓς ἐφίεται τις στρατηγίας, κατὰ λόγον αὐτῇ προσιῶν· εἰς μὲν ὁ διὰ τῶν ὑπομνημάτων — ἕτερος δὲ — τρίτος δὲ ὁ διὰ τῆς ἐπ' αὐτῶν τῶν πραγμάτων ἔξεως καὶ τριβῆς. οὕτω φησὶ Πολύβιος.* Simplicius sese habet alter Polybii locus inversus in v. *Ἀυτοπαθῶς*: *Ὁ δὲ Ἀντίβας δόξας αὐτοπαθῶς ἅμα καὶ ἀληθῶς εἰρηκέναι πιστεύεται. Ὁ μὲν οὖν Ἀντίοχος δόξας αὐτοπαθῶς ἅμα καὶ ἀληθῶς εἰρησθαι παρὰ τοῦ Ἀντίβου κατὰ Ῥωμαίων πάσης τῆς προὔπαρχούσης ὑποψίας ἀπέστη.* Priorem partem apparet ab homine scholastico confictam esse. Adde gl. *Χημεία* supra p. LXX. memoratam. Neque melioris originis esse videtur prior gl. *Παναίτιος, Ῥόδιος, ὁ πρεσβύτης, φιλόσοφος· οὗ πολὺς ἐν φιλοσόφοις λόγος. φέρεται αὐτοῦ βιβλία φιλόσοφα πλεῖστα.* Subsequuntur: *Παναίτιος ὁ νεώτερος, Νικαγόρου, Ῥόδιος κτλ.* Nam etsi glossas litteratas (II, 9.) interdum tam indocte Suidas administrat, ut narrationes variorum de eodem scriptore diversas in particulas distraxerit, hic tamen nulla fuit dissensio de Panaetiis, qualis usu venit in Posidoniis cognominibus sub vv. *Ποσειδάγιος*, nec priori glossae quicquam inest quod ab antiquo fonte fluxisse contendamus. Itaque huic lectori debentur etiam ὁ πρεσβύτης et ὁ νεώτερος.

Sed in enumerandis fraudibus et additamentis hominum otiosorum piget diutius immorari. Satis enim constitutis generibus et causis interpolationis provisum est, ut operam lexicographi

LXXXII. COMMENTATIONUM DE SUIDAE LEXICO CAPUT III.

multis modis auctam et alienissimis copiis, quae consilium et descriptio totius laboris nec ferret nec desideraret, oneratam intelligatur ab integritate pristina vehementer descivisse. His igitur magna pars temeritatis et iniuriae tribui debet toties iactatae, quam ab viro de nostris studiis bene merito quantum per veritatem licuit omni contentione depelli par fuit. Proinde tantum mihi consecutus esse videor, ut errores et indoctas glossarum perturbationes nemo posthac incaute diiudicare velit, nec quemquam ambiguum Suidae nomen fallat, sed ex indole glossarum et auctoritatibus librorum dignoscatur, quid in Suidam eraditionis Byzantinae sequestrem cadat, quid in ingenia lectorum, qui per summam interpolandi licentiam grassando cumulandoque lexicon illius amplificatum, ut duplo paene maius esse videatur, nobis reliquerint.

CAPUT QUARTUM.

DE SUIDAE CODICIBUS ET LIBRIS EDITIS.

Postquam duo praestantissimi codices ad emendationem Suidae collati sunt, criticam rationem subsidiorum apparet prorsus immutatam fuisse. De qua re breviter praemonitum in Praef. p. XX. Olim igitur ac paene nostram ad aetatem usque magnum pretium vetustis exemplaribus, praesertim Mediolanensi statuebatur, eorumque scriptura religiose solebat anquiri, si quando de glossis a Küstero neglectis vel temere refictis suspicio moveretur, adeoque beati sibi videbantur critici, quibus libros istos paulo rariores adeundi copia fieret. Hodie tamen in latebris bibliothecarum eos placida quiete perfrui sinemus. Nam ex quo Suidas ad fidem MSS. Parisinorum et Leidensis exactus est et apparatus variarum lectionum propemodum integer nobis innotuit, iamiam negotii critici status eo processit, ut libris editis facile careamus, nec Mediolanensis protrahi debeat nisi forte singulis in locis et quaestionibus minoris momenti, cum origo scripturae vel glossae cuiusdam potest addubitari. Quid autem editores antiqui distent ab auctoritate codicum optimorum quantumque multis etiam mediocrium MSS. lectionibus cedant, brevissimo licebit experimento cognosci, si quis tenuitatem undecim priorum plagularum cum Addendis nostris contenderit e penu Gaisfordiano paratis. Quamobrem his ad inferiorem locum detrusis sequitur ut argumentum capitis quarti sive *historia* quam dicunt *critica* scriptoris potissimum in codicibus duobus versetur, reliquos autem itemque memoriam editorum strictim et auctarii loco complectatur. Hanc enim fructum e cognitis scripturae fontibus, quos plerumque constat ad unum et alterum principem ac statorem redire, percepit percipietque bibliographia recentis philologiae, ut vanis titulis omissis, in quibus heluones librorum et aucupes deliciarum sese iactant unice raritatem venantes, usum et solam dignitatem subsidiorum spectare sciat verasque narrationes simplici brevitate commendatas spissis voluminum indicibus praeponat.

Sed priusquam singulas partes persequamur, de communi labe, quae purissimos etiam et vetustissimos codices infecit, quaedam observanda sunt. Repetamus vero quae ad condicionem textus aestimandam inprimis valent, per superiores quaestiones (I, 3. III, 1.) sparsa. Quippe tantus rerum et dictionum thesaurus simulac manibus populi terebatur, accessiones omne genus tam in ordine quam in marginibus dissipari solebant; nec defuere lectores qui glossas ampliores, potissimum historicas, sicubi magis copiose quam concinne de variis auctoribus (II, 10.) collectae diffuissent, excerpando mutilandove breviorum ad habitum redigerent. Postquam tamen inter-

polationis materiam exhausserant, variis modis et rivulis clandestinis, quos caput praegressum enumeravit, nutritam cessavit istorum industria, sub XIII. opinor saeculum, ultra quod aetas codicum nostrorum vix retrahi potest. Ergo hi Suidam suum, cuius corpus temerariis accessio- nibus auctum ad finem et ad maturitatem quandam adductum erat, propagare coeperunt, neque posthac eius ambitum multis aut insignibus copiis dilatatum fuisse cognovimus. Quibus monitis intelligitur omnibus libris eundem lexi fundum esse communem, nec reperiri codicem qui vacuus a fraudibus et insitivis observationibus manserit; neque mirum, siquidem ea demum exemplaria vendibiliora gratiorave studiosis hominibus videbantur, quae largissimum ostenderent apparatus. Sed interest aliquantum inter codices primarios et ordinis deterioris: etenim qui principatum tenent, ab criticis haud indoctis recensiti satis intelligenter et in ordine glossarum scripturam secuti puriorem, etsi partes adulterinas admittunt bene multas, alias tamen suspicio- nibus certisve iudiciis moti nunc ignorant nunc in margines ablegant; contra quod inferiores MSS. cum edd. vett. glossas primitivas et adventicias omnes perinde habent nulloque discrimine agnoverunt.

Codices autem non solum in servandis interpolationibus et corruptionum ulceribus, quae libros aliorum quoque scriptorum altius obsedere, conspirant, sed pari consensu glossas etiam mutilatas ac mire distractas retinent, quas apparet non minus casu quam socordia turbatas fuisse. Numerus quidem earum non ita magnus est, pars tamen aliquam habet vim et auctoritatem in historia litterarum Graecarum, ut operae sit diligenter nosse. Iam casus, qui saepe valuit ad plagulas distrahas, effecit ut a gl. *Σιγῶ* divellerentur haud pauca et sub finem gl. *Σίφνοι* delitescerent; haec tamen annotatio quoniam nihil est nisi repetitum Comici Scholion, dubitari potest utrum ad Suidam an ad officinam eruditulorum hominum ea sit revocanda; quos cognovimus (III, 4.) isto Scholiorum genere frequenter abusos esse, nec seriem glossarum accurate servasse. Simplicior est ratio duplicis gl. *Πεποδισμένοι*, quam in unam conflari iubet oratio Xenophontis praeter rem dissipata: *Π. τοὺς πόδας δεδεμένοι. Τοῖς Πέρσαις ὡς ἐπιτοπὸν οἱ ἵπποι πεποδισμένοι εἰσὶ, τοῦ μὴ φεύγειν ἔνεκα, εἰ λυθείησαν. Π. τοὺς πόδας κατασχήμενοι. Ξενοφῶν· Πονηρόν ἐστι νυκτὸς στράτευμα Περσικόν· οἱ γὰρ ἵπποι αὐτοῖς δέδονται.* Quae ex indicio MS. A. sic erant concinnanda: *Π. τοὺς πόδας δεδεμένοι. Ξενοφῶν· Πονηρόν — δέδονται καὶ ὡς ἐπιτοπὸν πεποδισμένοι εἰσὶ, τοῦ μὴ φεύγειν ἔνεκα, εἰ λυθείησαν.* Porro vetus est mendum et *Ἐφιππος* lemma pro *Ἐφορος* (p. LXVIII.) praemunitum, cum oculus a duabus narrationibus, quarum altera suam sedem occuparat, altera marginem, ad praegressum *Ἐφιππος Ἀθηναῖος* aberrasset; et *Φιλόσοφος* (cf. p. LXVII.) omisso *Φίλιππος* sive lemmate de Philippo Opuntio philosopho, quod e tot Philippis incertam quo casu raptam forte fortuna historiis et flosculis philosophorum insertum videmus. Simillima labe invasit unam et alteram glossam, quae propter memoriam et litteras virorum illustrium debet in censum venire. Nam et quae Melissum Eleaticum tradiderat, hodie capite truncata superiorem in paginam delata medias inter glossas *Μέλητος* resedit, et duplex glossa *Σιμωνίδης Κρίνω*, cuius pars melior in margine latuerat, distracta, cumque per inscitiam prononciationis de prima syllaba dubitaretur, tam post v. *Σημεῖον* reiecta quam cum glossis *Σιμμίας* confusa fefellit librariorum codicum antiquissimorum. Faciliorem aut veniam aut explicationem habet error in gl. *Ἀριστώνυμος* admissus, quam glossam nemo nescit post praestantissimam criticorum operam particulis finitimae gl. *Ἀριστοφάνης Βυζάντιος* auctam fuisse; sed aegre serimus, quod divulsis

et elapsis membris necessariis primitivum narrationis habitum non iam dicet redintegrare. Tantum vero perturbationis si quis miratur lexicon invasisse satis diligenter adornatum et curis secundis veterum inter Byzantinos editorum expolitum, satisfaciet glossa *Κάστωρ*: quae cum suam et rectam sedem obtinuerit, eadem tamen in libris post v. *Καρνεάδης* recurrit, neque causam repetitionis per errorem factae licet comminisci. Quid quod auctarium glossae *Τυννουτονί* destinatum post v. *Τούνεκα* traductum est, ubi ne distractas quidem plagulas possis suspicari. Contra Iacinia gl. *Ἠγήμων* posteriori subtextā, *Τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστὶ Φίλινα, ὡς Ἀθήναιος ἐν Λεπνοσοφισταῖς*, quam superiori *Ἠγήμων ὁ Θάσιος* oportuit ascribi, non tutior fideve dignior est illis sub finem gl. *Ἴπυς Ἐγγῆνος, Οὗτος πρῶτος ἔγραψε παρωδίαν καὶ χωλίαμβον καὶ ἄλλα*, quae conclusionem efficere debuerant gl. *Ἰππῶναξ*. Etenim accessiones istae sunt ex earum numero, quas ostendimus (II, 9.) ab hominibus studiosis ex Athenaeo cupidius esse depromptas. Nondum de hac fraudum origine cogitabat *Rankius*, cum utrumque locum transpositione sanari iuberet de Hesychio p. 53. sq.

2. Praevertamur ad codices. Diximus supra (p. XX.), id quod passim in transcursu harum quaestionum est confirmatum, eorum principatum ad codices Parisinum A. et Leidensem esse deferendum, nec tutius habet fundamentum aut emendationis lex aut iudicium de glossis Suidae sinceris vel interpolatis. Nam etsi non eandem prorsus originem referunt neque ab eiusdem critici manu profecti sunt, uterque tamen solam vetustissimorum exemplarium scripturam fideliter praestat. Iidem etiam auctarium glossarum suppeditarunt, quas primus Gaisfordus partim cum aliorum librorum consensu prodidit. Has omnes luminibus verborum et amplitudine vincit quarta gl. *Σοβαρός*, quae deliciis Aelianis accedat. Contra non multum lucratur novis hisce accessionibus: *Ἐκαπήλευσεν. Ἐσπέριος. Ζεβεδᾶϊος. Ἴων* gl. 2. *Μαζίσσας. Μενέμαχοι. Ὀμόσε ἴεσαι. Ὀνίνησιν. Πανδαίσιον. Παράδειγμα* gl. 3. *Παρεμβαλεῖ. Παροκωχή. Πίφιλιξ. Προσκαλέσαι. Στιριεύς. Τζορολλός. Τοῦλδον. Υἱωνός* post v. *Ἵων. Ὑπερπταίη. Χονσά.* His insunt fuitiles quaedam quaeque suspicionem moveant, similes illae glossis *Μυτιληναῖος, Σακέφδως* et quinque post *Στοιχειώσις* vulgatis. Paulo plus momenti habent additamenta, quibus glossae notae suppleantur vel auferantur: ut *Διογενειανός. Ἐρώεις. Θυρεός. Ὀντα. Ὄς. Στρατήγιον. Τυννουτονί.* Iam singulos codices deinceps persequamur.

A. Parisinus optimus, olim num. 1852. hodie 2625. signatus, duo volumina grandi forma complexus. Vide Gaisfordi Praef. p. XIV. Hasii Comment. de Io. Lydo p. XXVII. Primus codicem diligenter periteque diversis manibus exaratum adhibuit et quoties libuit Küsterus inspexit (v. Praef. pp. II. XI.); deinde specimina nonnulla Schweighäuserus filius cum patre communicavit, vide huius Opusc. T. II. p. 200. Porro de tot criticis nullus eum usurpavit ante Gaisfordum, cui non modo plenissimam collationem (v. quae monuimus p. XX.) sed, quod pluris est, Suidam debemus ex illius libri copiis emendatum, auctum plurimisque sordibus purgatum. Indidem etiam centenas sumpsit vel revocavit, plerumque per silentium, glossas syntacticas (cf. supra III, 5.), quas praestabat libri marginibus relinqui; nec multum refert, quod earum partem unus A. servavit, ut *Διανύω, Διαπλέων, Διερμηνησῶ, Ἐξέρχομαι.* Idem alius generis glossas minores obtulit, hic illic ex vetusto fonte ductas, gl. tertiam *Μεῖον*, priorem *Οὐρίαχος, Ὄρμα* et *Ὀρμενος, Προτίλεια, Ρεδίων, Σχίδακας* et omnium pretiosissimam *Διονυσιάδης*, saepius tamen editas auget additamentis, ut v. *Λείας.* Rarum exemplum interpolationis ab alia glossa

derivatae praebet v. *Βορᾶς*: ut enim plurimas fraudes ignorat, ita paucissimis in ordine locum concessit, saepius autem in margine posuit observationes e locis superioribus ductas, velut post vv. *Φιλοσοφία* et *Φθόνος*. Sed in nulla parte totius operis tantum virtus et integritas libri principis elucet, quantum in oratione cum Suidae tum testium ab eo prolatorum pure pleneque custodita; nec praestantius emendationis cum fructu factitandae subsidium adhuc repertum est. Uberiorem autem scripturam et reliquis castigatiorem apud illum extare non potest melius cognosci, quam si quis narrationes paulo longiores, praesertim historicas, hoc duce restitutas velit perlustrare; vide vel gl. 2. *Ἐρμείας*, *Ἐρμιογένης*, *Εὐθύδημος*. At vero longum est vel potius infinitum eas glossas recensere, quibus idem liber suppletis (vide specimen instar aliorum v. *Σύνθημα*) et in melius conformatis membris salutem reparavit. Quo magis dolendum quod eximius codex identidem hiat et numero glossarum caret non exiguo. Desiderantur enim, quas lacuna complurium foliorum hausit, glossae inter *Ἰγνάτιος* et *Ἰκτίνοσ* interiectae, item quae folium singulare complexisse videntur *Στακτὴ* quaeque sequuntur ad *Στεροτυπίτης* usque, *Συνέπεισ* et continuae eiusdem fere spatii, sed particulas earum aliunde sumptas margo servavit, item ut accidit in multis glossis ab initio litterae Π, quas A. aut nescit aut mutilatas in margine decerpit, ut *Παλλάδιος*, *Παλαμήδης*, *Παλαμναῖος*, *Παλαιόν* et sequentes, *Παλαίσμασιν*, *Παλαίστρα;* *Παλαίφατος*, *Παλαίφατου* et plerasque ante *Παλινοσίω* cum narrationibus sub v. *Παμπρέπιος* amplissimis. Ubi sine dubio defuit integrum exemplar, ex quo curis secundis intermissa resarciri possent, quemadmodum manu recentiore factum tradit Gaisfordus in v. *Συντάξας*. Similiter maior glossarum pars inde ab *Ἐπεξηγήσθωσαν* usque ad *Ἐπερίδης* periit; adde nostram annotationem in v. *Ἐπόλογον* et Gaisf. in v. *Φαληρέυς*. Omnino mirum quot et quantis in glossis codex sub Φ deficiat: vide vel *Φιλίσκος* gl. 4. 5.

B. Parisinus, in usum Gaisfordi totus excussus, nihil aliud nisi supplementum bonorum librorum praebet, eumque solius accessionis instar habendum esse dictum p. XX. Idem duo alios Parisinos, quos G. H. (p. XIV.) appellat, in littera P sibi conferri iussit; sed sumptus, opinor, eum poenituit.

V. Vossianus (in praefixa scheda dictus *Ex Bibliotheca Viri Illustris Isaaci Vossii*) in Bibliotheca Leidensis Academiae inter MSS. Graec. Voss. F. 2. repositus, chartaceus (in charta serica tradit male confectus Catal. Bibl. Univ. LBat. p. 391.) vel potius gossypinus, formae magnae, diversis manibus scriptus, binis laterculis sive columnis versuum fere 43—49. Exorditur a gl. *Ἀπειπατο*, desinit in transposita gl. *Χαλβάνη. ἀλοιφή τις ἐνεργητικὴ*, quibus succedit folium a bibliopego submissum, continens initium gl. *Φίλος. ἕτερος αὐτός* laceratum et quae sequuntur usque ad verba *ὁ καλούμενος κημός* in gl. *Φιμοί*, sed omnium illud maxime detritum. Sub finem enim situ vel madore tam misere corruptus est, ut in summis paginis initia vel exitus versuum aliquid damni fecerint. Liber magna diligentia perscriptus et secundis curis, eadem an alterius manu, emendatus, litteris satis grandibus et distinctis, quarum ductus in tanto compendiorum vel siglarum numero aegre licet assequi. Cum tamen diversis manibus exaratus sit, non eadem est legendi difficultas. Nam aliae partes litteris apertis et diductis ita sunt explanatae, ut Gronovium et testes Gaisfordianos mirere toties errasse vel expressas scripturas neglexisse; aliarum vero dispar est intelligentia, praesertim si ductus minuti flexuosique vel coartati siglis vocum obscurantur et aciem oculorum quamvis intentam fallant. Hinc satis

perspicitur quid sit cur in nullo Suidae codice toties erratum fuerit ac scripturae varietates tantis disensionibus ab iis referantur, qui nolissent lente properare. Glossas uberioribus et annotationes generis syntactici rarius V. quam A. in margines coniecit; sed plerumque syntacticas et harum similes ignorat, quas a Küstero praetermissas solet Gronovius silere; similiter tamen apponere consuevit *παροιμια* proverbiiis et glossas onirocriticas praefixo *λύσις ὀνείρου* seposuit. Ceterum desunt aliquot folia sub gl. *Ἀπόδειξις* (ubi v. Add.), item littera Ω cum initio Π usque ad p. 11. ac lacunosus est in v. *Ὀμηρος*; raro praebet accessiones aliis incognitas, ut in vv. *Ἡβήσαντες*, unde locus Eunapianis accedit, *Ἰούνιος, Σοβαρός* ac gl. 1. *Σωφροσύνη*, nec spernendam affert opem, ubi deficit A. ut in v. *Παμπρέπιος*. Conspirat autem cum A. in quovis fere scripturae genere, meritoque primarius Suidae liber habetur, nec dubium quin uterque communem et integerrimum fontem usurparit; sed praestabilior tamen A. multis est nominibus (vide monitum p. XX.), ut qui pluribus in locis ac maiore diligentia manum scriptoris reddat illibatam. Huc adde non leve Vossiani detrimentum, quod magnam partem glossarum historicarum vehementer contraxit easque gravissimis membris sublatis adeo mutilavit, vix ut umbram in nonnullis relinquat. Velut copiosissimam narrationem gl. *Γέσιος* his complexus est: *ἐπὶ Ζήνωνος ἦν λαμπρυνόμενος τέχνη ἱατρικῇ σφόδρα ὡς πάντας νικῆσαι, Πετραῖος τὸ γένος. οὗτος καθεῖλε τὸν ἑαυτοῦ διδάσκαλον Δόμνον τὸν Ἰουδαῖον καὶ τοὺς ἐκείνου φίλους πάντας πρὸς ἑαυτὸν μετέστησε.* Item ex gl. *Γόργος ὁ Μεσήνιος* nihil servat nisi principium, *ἀθλητῆς, στεφανίτης καὶ ἀριστεύς*, et gl. *Ἐπίκτητος* amplissima tantum haec, *δοῦλος Ἐπαφροδίτου σωματοφύλακος Νέρωνος Ἱεραπόλεως τῆς Φρυγίας φιλόσοφος ἄριστος.* Sed de tot exemplis sufficit comparasse gl. *Βαβυλάς, Βεσπασιανός, Γρηγόριος, Δάμις, Δεξιός, Δείναρχος, Δεινοκράτης, Δημοκλήδης, Δημοποίητος, Δημοσθένης, Δημόφιλος, Δομετιανός, Δομνῖνος, Ἐπίκουρος, Ἐπικύδης, Εὐπείθιος, Ζέρκιον.* Possit aliquis causam tantarum praetermissionum ad ignaviam librorum revocare. Si tamen gl. *Δημήτριος Φανοστράτου* contemplamur vel potius glossae eclogam et paulo longiorem *Διονύσιος ὁ Ἀρεωπαγίτης* adiungimus, cuius fines V. cum deterioribus libris acerbius circumscripsit, dubitari non potest quin criticus iste, qui copias lexi ab Vossiano descriptas recensuit, epitomen nominum memorabilium secutus sit, non dissimilem illam opusculo Hesychiano: v. II, 9.

Hic igitur codex olim *Henrici Stephani* fuit, qui lectiones nonnullas in Thesauro L. Gr. protulit; ac Frid. Sylburgio (vide p. XV.) usum eius vel delectum scripturae largitus est. Deinde latuit in scriniis Bibliothecae Leidensis, donec *Iac. Gronovius* totum excussit (is in gl. *Χαλβάνη*: *Hic finis erat MS. Et absolvi ipsis Nonis Ianuarii 1710.*); nisi quod marginem eius parum curat atque vel longiores omisit observationes; varietatem autem scripturae marginibus Küsterianae commisit, partem etiam (cf. infra 3.) publici iuris fecit. Postea libri praestantiam cum agnovissent, in usum vocarunt *Hemsterhusius*, qui Scholiis in Aristophanis Plutum emendandis (cf. praef. p. XV.) eum adhibuit, et *Valckenarius*, ad codicem diligenter conferendum adhortans in Callimachi elegg. p. 182. cf. Diatr. p. 169. Quorum hic iuvenis plura specimina suis Animadversionibus in Ammonium inseruerat; alia Piersonus in Moeride commemoravit. Diutius tamen omnis eius notitia pendebat ex collatione Gronovii sive exemplo Suidae Küsteriani, quod ad Laur. Santenium pervenerat (v. Ruhnck. in Tim. p. 4.); id apud Lenziem Vimariensem vidit Passovius (v. Musaeos p. 23.), dein Aug. Seidlerus possedit, qui G. Hermannum eo donavit. Nobis usuram tanti thesauri humanitas Seidleri concessit: de quo traditum p. XVII.

Alteram collationem curatius institutam (p. XIV.) primus evulgavit Gaisfordus eiusque fractum ad lexicographum refingendum accommodavit. Tandem ipse nactus Leidensem et intra parietes privatos, quantum per tempus licuit, rimatus quid inter Gronovii Gaisfordique laborem interesse cognoverim, paucis exposui p. XX. sq. Ceterum ubicunque siletur codex, velut in glossis a Gaisfordo sublatis ad fidem plurium librorum, V. non memorato, hic putandus est ceteris suffragari. Et partem quidem novarum lectionum inde ab v. Ὑπερβριθῆς commentariis inserui, reliquam autem Addendis reservare coactus sum, ita tamen ut integram scripturam usque ad v. Ἀρρίχου ενotarem, hinc ea sola quae vidissem in annotatione sileri vel perperam exaignari; cumque progressus ad v. Γιγαντώδης intelligerem otium non esse suffeoturum, operam in iis continui, quae Gronovius (huius vero dissensum ubique *V. indicat) ac Gaisfordus non eodem modo tradiderant, sic ut graviores glossas perstringerem, in quibus pretium esset codicem memorari, praetermissis levioribus mendis, ubi ductus eius parum fideliter repraesentarentur. Nam Gronovius, qui mediocriter et palaeographiam teneret et grammaticam Graecam, ab litteris diversarum manuum frequenter aberrat, nec recte solet tenores exprimere: quod genus errores ab hoc vel a Gaisfordo commissos raro visum est notari. Sed in hoc spicilegio substitimus ad extremam θ, nec licuit iam quicquam praeter particulas in K delibare. Quamobrem etsi dimidiam tantum partem confeci, supplementum tamen annotationis non exile paratum est, unde possit de relictis etiam glossis iudicium praesumi. Verum haec operosius fortasse narrata videbuntur; eaque satis sint ad historiam utriusque codicis praestantissimi cognoscendam; ceteros enim non attinet uberius describi.

C. Oxoniensis in Bibliotheca Collegii Corporis Christi, quem Coxii Catal. Codd. MSS. Oxon. P. II. 1852. inter Codd. illius Collegii n. 76. 77. sic tradit: *Membranaceus partim et partim chartaceus; hodie in duo volumina distinctus, quorum habet primum f. 280. alterum f. 320. S. XV. olim Gul. Grocini; haud eadem manu nec eodem tempore scriptus.* Adhibuit eum Porsonus in Appendice curarum Toupiansarum, in Euripide (v. Praef. Hecub. p. X.), in Aristophaneis; contulit Gaisfordus (p. XIV.) plerumque ubi V. hiat. Simillimam enim uterque praebet scripturam, quae communem redolet fontem; quamquam apparet C. minore cum diligentia perscriptam esse, nec tuto licet ex huius lectionibus de libro V. existimare. Porro glossas maiores, potissimum historicas, aut neglexit aut vehementer imminuit, quasi lexicon brevium (p. XXX.) moliretur. Hodie non alium praestat Oxoniensis usum nisi ut damna codicis Vossiani suppleat.

D. Oxoniensis inter Bibliothecae Bodleianae Codd. Miscell. n. 289. S. XV. duobus voluminibus formae magnae. In locis tantum suspectis ab se consultum dicit Gaisfordus. Liber mediocris notae.

Huic tertium Bodleianum subiicit Coxius in Recensu Codd. Graec. Bodl. Oxon. 1853. edito: Cod. Miscell. 290. S. XV. post edit. Oxoniensem in Bibliothecam illatus. Is incipit ab v. Ἀρποκρατίων, desinit in v. Φιλοκράτης. Passim mancus esse dicitur.

E. Bruxellensis in Bibliotheca Regia servatus, olim Bibl. Iesuitarum Antverpiensis, quem A. Schottus in Proverbiis e Suida collectis, utpote *satis vetustum* (hoc est, Saec. XV. anno 1475. absolutum), saepius adhibuit. Totam comparavit Gaisfordus (p. XIV.), qui iuste

maiores ei fidem habuit. Etenim liber est ordinis infimi, quem ab critico temerario recensum fuisse breviter monui p. XX. Interdum etiam glossas de suo inculcavit: v. Küst. in v. *Βασίλειος* p. 420. extr.

F. Florentinus, ab Elmsleio visus: v. Gaisf. p. XIV. Alterum a. 1402. absolutum memoravit Montfauconus Diar. Ital. p. 368.

Parisinus Brequignii sive Codex olim Collegii Claromontani Soc. Iesu, cuius lectiones ab homine illo parum perito descriptas suis locis commemoravi. Rettulit eas *de Brequigny Observations sur un manuscrit du Lexique de Suidas, Notices et Extraits des Manuscrits de la Bibliothèque Nationale*, T. V. An VII. p. 5—20. Qui quae tradit ad notitiam codicis apta, ea infra posuimus.*) Libri nemo posthac mentionem fecit.

Vaticani codices interdum afferantur a Küstero (v. Praef. p. XI.), qui lectiones aliquot bonas a Pearsono descriptas iusto rarius usurpat, ab Alemanno in Procopii H. Arc. p. 18. (101.) ab Ang. Maio (v. sub v. *Ἰάμβλιχος*) et aliis fortasse, quorum nunc non recordor. Porro Vaticani duo designantur in eo Bibliothecae Vaticanae indice, quem in Bibliotheca Vratisl. Redigerana servatum Haasius edidit in Serapei T. XII. ubi p. 136. affertur n. 13. *Σουίδας λεξικόν*. n. 16. *Σουίδας λεξικόν μέχρι τοῦ θ' στοιχείου. τὸ δεύτερον βιβλίον τοῦ αὐτοῦ ἐκ τοῦ κ' μέχρι τέλους.*

Veneti codices duo Saec. XV. recensentur ab *Iac. Morellio* Bibl. Manusc. T. I. Bassani 1802. p. 314. qui mutilos esse narrat. Sed viri litteratissimi tam brevis est descriptio tantaeque levitatis, ut ambigi possit utrum Suidam an epitomen sive Zonaram in manibus habuerit. Zanettii quidem errorem in alio Veneto admissum notat Villoisonus Anecd. T. II. p. 250. In bibliotheca Dominicanorum Venetias visens Montfauconus codicem bombycinum duobus voluminibus Saec. XIV. observavit: v. Diar. Ital. p. 47.

3. Satis dictum de codicibus magnam partem exploratis. Narratio de veteribus libris editis eo brevior erit, quo magis constat nullius praeterquam Mediolanensis et Küsteri memoriam hodie vigere atque criticorum usu celebrari. Nam ut verbo dicam, princeps editor fuit Demetrius Chalcondyles, huius vestigia presserunt Aldus, Basileensis, Portus, primus lexicon novis subsidiis adiutus emendavit multisque mendis vel interpolationibus liberavit Küsterus;

*) Ce MS. étoit dans la bibliothèque du collège des Jésuites à Paris, sous le n. 74. c'est l'article 352. du Catalogue des MSS. de cette bibl. imprimé en 1764. Par. 8. Je crois qu'il a passé aux mains de Mr. D'Orville. C'est un volume en papier, de petit format in 4^o, dont l'écriture paroît être du XVII^e siècle, et qui ne contient que 77 feuillets. — Le MS. des Jésuites n'offre que des noms de personnes: tout ce qui appartient à la grammaire en a été exclu, à la réserve de l'article ἀδιαφορία. — Il n'offre pas à beaucoup près tous les noms de personnes qui sont dans les éditions. — Non seulement il contient moins d'articles que les éditions, mais plusieurs de ces articles y sont beaucoup plus courts. — On n'y trouve point non plus quantité d'articles tirés d'écrivains plus ou moins anciens, de Paul Aeginète, de Michael Psellus." Hinc subnatum est lepidissimum hominis semidocti commentum, quod supra p. XXVIII. memoravimus. Itaque liber Claromontanus ad eos codices pertinere videtur, qui vel eplomen historicam fabricarentur vel eclogas ex iis libris, quales modo Vossianum et alios I, 5. cognovimus, efficiendas sibi proponerent.

sed unus Gaisfordus ad fidem optimorum librorum non singulares glossas sed integrum Suidam recensuit, ut iure primus editor haberi debeat, qui criticam artem scriptori navaverit.

Ed. 1. Med. Mediolanensis a Demetrio Chalcondyle Atheniensi curata, quam in chartis magnis et fortissimis expressam non vulgaris typorum et atramenti splendor latique margines ornant, quamque merito redemptor et opifices lectoribus suis in prooemiis Graece Latineque scriptis commendant, iusto caret titulo. Praefixus in folio primo recto *Λιάλογος Στεφάνου τοῦ μέλανος*, quasi sermo commendaticius: unde saltem libri pretium cognoscitur, modicum illud pro voluminis amplitudine. Verba sub finem sunt haec: *ἡ οὖν τῆς βίβλου τιμὴ πόση τίς ἐστι; B. χρυσῶν τριῶν.* Sequuntur eodem in folio verso disticha quaedam Latina, auctore Antonio Motta. Haec excipit in folio secundo Io. Mariae Catanei epistola ad Albertum Pium, quae Demetrii disciplinam collaudat, deinde Ioannem Bisolum ac Benedictum Mangium Carpensens, ingeniosos typorum artifices, admiratur, postremo Suidae copias tanquam cornucopiae depingit. *Locis enim suis (inquit) necessaria complectitur quaecunque fere ab orbe condito supra annos 5780 memoranda, Hebraeas, Graecas, Latinas omniumque historias compendiose tangens, philosophorum sectas et dicta, poetarum fabulas mirabili temperamento narrans, somniorum involucra, αἰνιγμάτων latebras, innumera paene proverbia acri intentione dissolvens: opus profecto necessarium tam Latine quam Graece scire volentibus. Nam quid illam multiplicem verborum electorum solutionem demirer? cum satis constet ex probatissimis diversarum rerum auctoribus excerpisse diffusam ἀνθολογίαν,* et quae sequuntur. Similia continet Graeca Δημητρίου τοῦ Χαλκονδύλου praefatio in fol. 2. verso, qui laudibus Βενεδίκτου Μάξου καὶ Ἰωάννου Βισόλου τῶν Καρπαιῶν defunctus suam industriam sic describit: *Ὁ δὲ τὴν διορθῶσιν τοῦ βιβλίου πεποιηκὼς Δημήτριός ἐστιν ὁ Χαλκονδύλης. ὃς πλείοσιν ἀντιγράφοις χρησάμενος καὶ τούτοις πᾶσιν οὐ σμικρὰ ἄττα ἀμαρτήματα εὐρηκῶς, ὧν τὰ πλείω ἐν ἅπασιν ὡσαύτως ἐτύγγανεν ὄντα, πολλὰ μὲν φιλοπονήσας καὶ διασκεψάμενος ἐπηνόρθωσεν, ἔστι δ' ὧν οὐχ οἶός τ' ἐγένετο τῆς προσηκούσης διορθώσεως τετυχηκέναι. — οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ λέξεις ἐνίας, αἵτινες τὸ παράπαν οὐχ ὑπῆρχον ἐν Σουίδα, ἄλλοθεν ποθεν συλλέξας προσέθηκεν, ὡς ἂν οἱ ζητοῦντες τὸ σημαινόμενον αὐτῶν ἔχοιεν ἀπονώτερόν τε καὶ ἐτοιμότερον ἐντεῦθεν πορίζεσθαι. καὶ λέξεις δὲ τινὰς ἀνερωμηγνέτους ἐνθα ἐνεχώρει ἐπιμελὲς αὐτῷ γέγονε σαφηνίσαι.* Deinde in laudes lexicographi sui excurrit paulo uberiores iis, quas fecerat Cataneus; monetque sub finem, quanta paucitas exemplarium in ipsa Graecia fuerit: *τὸ δὲ βιβλίον οὕτω τοι σπάνιον καὶ πολύτιμον ἦν ἐν τε τῇ Ἑλλάδι καὶ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, ὡς τὸν τοῦτο κεκτημένον μέγα φρονεῖν ἐπ' αὐτῷ καὶ τὸ δὴ λεγόμενον κέρως ἀμαλθίας καρποῦσθαι.* Volumen continetur foliis 509. cum hac subscriptione:

Anno ob incarnatione MCCCCLXXXVIII die XV novembris, impressum Mediolani impensa et dexteritate D. Demetrii Chalcondyli Ioannis Bissoli Benedicti Mangii Carpensium.

Claudunt opus epigrammata Latina, quibus Ioannes Salandus Demetrio Calchondilo (sic) et lectori valedicit, inter alia tradens Demetrium ab Antonio Motta et Io. Maria Cataneo permotum fuisse, ut tantam operam susciperet. Profecto non extabat maius aut difficilius in Graecis litteris monumentum curis criticis tractatum, nec potest labor comparari, quem Demetrius Homero et Isocrati recensendis impenderat. Et haec quidem de Mediolanensi.

Ipsius autem Demetrii confessio satis arguit quem finem quamque rationem secutus sit. Quamquam Villosioni (Anecd. Graec. T. II. p. 261.) tam mediocre fuit iudicium, ut illius

licentiam cum Hesychio per Musurum ingeniosissime sed minus fideliter emendato contenderet et narrationem verbosam, quam haud prudentius in Animadv. in Long. p. 152. inchoarat, observatione scilicet erudita consummaret hac: *Scilicet nullum tunc temporis edebant auctorem, nullum Graecum aut Latinum codicem typhotis excudendum tradebant, quin prius eum repurgassent et emendassent.* Demetrius igitur cum codices, ut tum plerisque criticis usu venit, parabiles et inferioris loci contraxisset, quales Italicae bibliothecae vel scrinia privata haud sollicite quaerentibus offerrent, diligenter sane sed nec Suidae prorsus gnarus neque ea quae hodie postulat religione glossas constituit, manifesta vitia correxit fecitque pro viribus, idem vero plenissimum doctrinae thesaurum constructurus, quasi qui lexicon recens omnium in usus digereret, meliorem consilio quam fide novas copias inculcavit ex varia lectione submissas. Hac mente partem magnam Stephani Byzantii recepit, Paulum Aeginetam ob notitiam morborum et materiae medicae decerpit (id vero fraudum genus tetigit Küsterus p. II.), notationes vocabulorum aliaque praecepta traxit ex Etymologico, nec sprevit Zenaram, cui praeter levissima quaeque debet etiam longiores theologorum observationes (vide vel v. Ἐφοῦδ, Παράδεισος, Προσευχή, Ὑπόστασις), aut alios quos in promptu habebat grammaticos, ut in v. Ἀντωμοσία. Porro locos laborantes non raro liberalius suo Marte iuvare conatur (ut in v. Εἰς λατομίας), ac declarat ipsa res, quod ingenue fatetur, totum in Suida suo locupletando fuisse: velut, ne longius abeam, sex continuas glossas post Ἀάσχος subornavit. Apparet igitur in Demetrii moliminiibus bene merendi voluntas et studium litterarum Graecarum, ut illis temporibus, minime contemnendum; sed quis neget foedis modis ab eo Suidam interpolatum fuisse? Levius tamen illius errorem et temeritatem ferremus, si veterum editorum aliquis tantas fraudes indicare voluisset ac librorum auctoritate sustulisset. Nunc vero paucorum in suspicionem venit Suidas insitivus; adeoque Musurum aequalem nactus est imitatore, qui plurimas annotationes indidem in Aristophanis Scholia simpliciter invexit. Hodie Mediolanensis quis usus sit in quaestionibus criticis supra mentum in capitis principio: cf. p. XX. Quod autem Hermannus olim (post Bruckium in Aristoph. Nub. 1392.) Praef. in Soph. Trach. p. XV. ex hac una Suidam ab se laudari pronuntiavit, contempto Küstero, cuius nulla sit auctoritas, solos ille poetarum scenicarum locos in mente habuit, quos Küsterus clam ex vulgatis exemplaribus interpolasset, Demetrius ut fors ferebat recte vel mendose scriptos dedit.

Ed. 2. Aldina post inscriptionem SVIDA. | ΣΟΥΪΔΑ. habet indicem grammaticorum, Τὸ μὲν παρὸν βιβλίον — κατὰ στοιχεῖον. Sequitur insigne typographicum Aldi cum subscriptione Aldus M. R. Paginae dimidiatae sunt sive per latercula excusae, quod artis compendium opinor institutum ut chartis parceretur; nam quod Gronovius eam σελίδων rationem ab ipso Suida profectam arbitratur, id illius acumini condonabitur. Desideres autem nitorem typorum, quem in aliis Graecorum exemplaribus Aldinis agnoscimus. Finem voluminis, quod foliis 391 constat, facit Index tacticus. In novissimo folio custodes enumerantur, dein,

Omnes quaterniones. Venetiis in aedibus Aldi et Andreae Soceri. Mense Feb. MVXIII.

Aldus vel quisquis eum adiuvit tam fideliter vestigiis Mediolanensis institit, ut locis paucioribus in annotatione commemorari debuerit et ab lectionibus editoris principis distingui. Quodsi tenemus universas huius interpolationes ab Aldo propagari, nemo suspicetur ei copiam ullius codicis affuisse. Quid igitur de hominum illorum ignavia vel pristinarum studiorum infantia

censebimus, cum certissimum sit (quod ne Küsterum quidem praeteriit p. VI.) moderatores Aldinae codicem frequenter usurpasse de fonte communi ductum, cui praestantissimus A. deteriore sui partem debet? Hinc primum fluxerunt glossae syntacticae (v. p. LXXVII.), quas A. (marg.) plerumque confirmat, porro glossae novae, breviores tamen et numero modico, deinde minora quaedam auctaria glossarum editarum, quibus membra vel voces necessariae suppleuntur, postremo diversitates scripturae, quarum pars ad interpolationem refertur. Et novae quidem glossae, quas apparet non eiusdem esse dignitatis, haec sunt: Ἀληξ, Δαιδάλλω cum duabus continuis, Διεπεραιώθη, Διονύσιος Ἀλικαρνασσεύς, Διονύσιος Ἀλεξανδρεύς, Ἰππαρχος Σταγειρίτης, Καθεστώς cum duabus continuis, Καθεῖσαι, Κατὰ σκοπόν, Κόνδυ, Ὁ κάνης cum gl. duabus, longa narratio Περὶ Πίστewς sub v. Πίστις, tandem Τούς. Ex his propter testimonia vel memoriam virorum illustrium solae Δαίμονα, Διεπεραιώθη, utraque de Dionysiis et Ἰππαρχος in censum veniunt. Longe plures autem glossas interpolavit aut additamentis et malis appendicibus aut novicia fabricatus commenta, partim etiam libris usus Zonarae simillimis, has dico: Ἀλκμαιωνίδαί, Δέρω, Διασύρω, Διαφθορά, Διονύσια, Αἴγες, Αἰγέυς, Αἰρεῖς, Ἐδημοσίωσαν, Ἐμφιλοχωρῶν, Ἐπιτοαντό cum quinque glossis, gl. 2. Εἰδέα, Κάθαμα, Καταφθορά post Καταφωτίζω, Καιρός, λέγεται, Μαλθαζέι, Μάννα, Μεταλαμβάνω et Μεταλαγχάνω, Μεταποιούμαι, Μωσώ, Νύμφιος οἶκος, Ὀμβριμοεργός cum seqq., Πίτυς, Προςβλέπω, Τηρήβαζος, Ὑφήφασμαι. Praeterea foedus error peperit gl. Λακάνη et Λαπαδεύεσθαι, quae ex aliis Suidae locis ductae scribi debuerant Λεκάνη et Λαμπαδεύεσθαι, ac maiore temeritate compilavit Aldus gl. Ἰταλία e Stephano Byz. Pleraque huius generis iam expunxerunt editores. Nec tamen silenda sunt auctaria membrorum locorumve neglectorum, quibus Aldus resarsit glossas Ἀντίροπον, Βαβακατρεῦ, Διεπεραιώθη, Δόρυ, Ἡδόμενος, Ἰστίον, Καγχάζει, Καθίσκος, Κάδμος, Κάδος, Κάιν, Καθαλάμενος, Καθαπτός, Καθαρῶς, Καθαρισιώτερα, Καθ' αὐτό, Καθαιρήσετε, Καθεσταμένος, Καθεῖναι, Καθεῖς, Καθῆκον, Καικίλιος (quam glossam huc retraxit), Κομπολαχύθου, Λεόντιος, Πῶρος gl. 1. Adcedant glossae, quarum scripturam idem dedit emendatam vel puriorem, Γυρῖνοι, Μάχλος, Μελαμπύγου τύχοις, Μένων, Μούνυχος. Nullius autem in oratione tantopere discessit ab Mediolanensi, quantum in v. Διονύσιος ὁ Ἀρεωπαγίτης, ubi facit cum A. Parisino, qui quicquid boni vel novi prodit Aldus, id confirmat vel in melius exornat. Sed dum accessiones istas et fraudes reputo, non equidem miror illinc aliquid beneficii in Suidam esse collatum (omnes enim perexiguae sunt numero, si magnitudinem operis spectes), sed illud mirabile videtur vel potius singulare, quod editor codicem suum, unde lectiones nonnullas eruit bonas ac plures etiam melioresque potuit, si vellet, levissime perstrinxit et ubi nulla vel mediocris incideret difficultas usurpavit, centenis autem locis impeditis aut affectis neglexit adhibere. Quamobrem mihi persuasi codicem istum inter emendationis curas non esse cum Mediolanensi comparatum, sed a familiare quodam (constat enim socios Academiae doctae, qua stipatus erat Aldus, in communionem variorum laborum venisse) inde lectiones forte casuque decerptas et in ordinem ut libuit immixtas fuisse.

Ed. 3. Basileensis cum Aldinam expresserit totam, ipsum etiam indicem operis repetiit, nisi quod primae paginae subscripsit, Froben. Basileae MDXLIII. Item in extremo folio: Basileae, apud Hieronymum Frobenium, et Nicolaum Episcopium, mense Augusto, anno MDXLIII.

Irrepserunt errores e socordia nati, quos nonnunquam perstrinxit Küsterus (ut in vν: Κλωσία et Λυκόφρων); velut cum sigla vocis (v. sub Κτυπεῖ) secus accipitur; aliquoties tamen vir

doctus qui Frobenianis operis affuit mendosos locos feliciter correxit, ut gl. Ἀναλίσκειν, posterioris Ἀναξίμανδρος (adde similem emendationem v. Κτησίας), Ἀρτεμισία, Ἐτεραλχία, Εἰς-ποιεῖτο (ubi Πῶρος ἐφρονάττετο debuit in ordinem recipi), posterioris Ἰουσιῖνος, Κηρύκαινα, Κωνσταντινούπολις, Λούκιος, Μικίνας, Ὀπιμα, quae correctiones hominem indicant in antiquitatis historia versatum; sed multo magis admiramur, quod in v. Κῶος malam omnium librorum orationem ὁ μὲν γὰρ Χῖος ἐδύνατο ἔνδον, ὁ δὲ Κῶος ἔξω persanavit repertis ἐν et ἔξ.

Suidae historica . . . opera ac studio Hieronymi Wolfii in Latinum sermonem conversa, Basil. 1564. 1581. f. Vide p. LII. et Küst. p. VI.

Ed. 4. Porti, cuius titulus inflatior, demptis supervacuis, hic est: Suidas, cuius integram Latinam interpretationem et perpetuam Graeci textus emendationem Aemilius Portus . . . accuratissime conscripsit, Colon. Allobr. 1619. (Genevae 1630.) II. f.

Expressit Basileensem, notulis parum commode interpositis, quibus auctorum locos indagat vel emendare conatur. Operam sane levem, sed a nulldum inchoatam etsi non contemnimus, parum recte tamen Küsterus arguitur, quasi qui haud raro tanquam suas tacite Porti emendationes adoptet. Nihil enim inest quin homo mediocriter doctus, nedam Küsterus suoapte ingenio potuerit excogitare. Ceterum Portus quam obtusae fuerit mentis et impar negotio suspecto, declarat Suidas non vulgari constantia Latine versus; qui quoties a Graecis aberret vel a communi sensu lectoremque destitnat, fusius exposuit Küsterus in Praefatione; adde p. XXIII.

Ed. 5. Küsteriana, hoc indice: Suidae Lexicon, Graece et Latine, tribus voluminibus. | ΣΟΥΙΔΑΣ. SUIDAE Lexicon, Graece et Latine. Textum Graecum cum manuscriptis codicibus collatum a quamplurimis mendis purgavit, notisque perpetuis illustravit: versionem Latinam Aemilii Porti innumeris in locis correxit; Indicesque Auctorum et Rerum adiecit Ludolphus Küsterus, Professor humaniorum literarum in Gymnasio Regio Berolinensi. Cantabrigiae, typis academicis. MDCCV. III. f. Inscrisit laborem suum Friderico, Regi Borussiae primo, verbis magnificis et in panegyrici modum exornatis, quibus animum gratum propter munus in se collatum otiumque liberaliter concessum profitetur. Opus illis temporibus inter splendidissima litterarum antiquarum monumenta referri debuit, quippe quod non solum ars Britannica nitore chartarum et typorum vestita commendare videretur, sed apparatus etiam eruditus ultra Porti mediocritatem euectus et oratio Graeca multis partibus castigata. Laudator autem ei praecclarus obtigit *Bentleius*, quem Küsterus fautorem et ducem in studiis rei metricae nactus erat, quemque nemo nescit in altera Epistola ad Hemsterhusium (Ruhnk. Elog. p. 90.) illius operam in Suida positam, quem emendatissimum dederit, celebrasse.

Sed paulo post editor acerrimum reprehensorem expertus est *Iacobum Gronovium*, opprobrium istud nominis clarissimi, qui contumeliis verborum et rusticitate Pauwios et Burmannos equiparavit, stupore et impudentia plerisque palmam eripuit. Quodsi vel mediocre Suidae habuisset notitiam nec plumbeis telis dimicasset, facile poterat existimationem adversarii pervertere. Postquam igitur recensionem novam ad codicem Leidensem sub a. 1710. (ut supra dictum) exegerat, specimina nonnulla protulit in libello sic inscripto: *Decreta Romana et Asiatica pro Iudaeis* . . .

*ab Iosepho collecta — in publicam lucem utilitatemque restituta. Accedunt Suidae aliquot loca in literis ABI'A ab vitis purgata ex MSS. Codicibus Academiae Lugduno-Batavae ab I. Gronovio. LB. 1712. Ubi pp. 56—116. Suidae tribuit, sic ut lectiones numero paucas, perverso iudicio delectas, expromeret nec praestabilia frivolis discernere sciret. Immo Gronovius quamlibet scripturam (ut ait) *mirabilis illius Lugdunensis sive teneritudinem almi codicis academici* eodem loco habet, id est, verissimam, eamque collaudat supersticiosus iste *sacrorum codicum* sectator, qui turpissime labitur, siquando suam sententiam ad explicanda codicis prodigia verbis inquinatis et perplexis interponit; modo sententiam eius *per obscurae et faeculentae orationis nebulas* (ut Bentleianis utar in Hor. A. P. 441.) perspicere liceat. Cum Küstero tamen satis clementer agit, nisi quod *Cantabrigiensem sapientiam* irridet et *Suidas Germano-Gallo-Britannicus* semel traducitur. Nec graviora sunt quae notavit in Latinis eiusdem *Infamia emendati. in Menandri reliqu.* pp. 89. sq. 157. sq. Huic vero reposuit Küsterus in Io. Clerici *Bibliothèque choisie* T. 24. quae defensio singulatim prodiit, et iterata quidem hoc titulo: *L. K. Diatribe Anti-Gronoviana*, Amstel. 1712. 8. Ubi commissa sua vel omissa callide tegens et extenuans spinas tantum ab calumniatore carpi pronunciat et per ineptam ostentationem vellicari, benefacta vero maligne dissimulari; subiicit etiam curas quasdam secundas, sed minores tam numero quam utilitate.*) Tum Gronovius mirum quantum furoris stimulus exagitatus alterum libellum exsculpsit, in quo livor et male dicendi libido cum acerbissima verborum atrocitate certat: *Recensio brevis mutilationum quas patitur Suidas in editione nupera Cantabrigiae A. 1705.* — LB. 1713. 8. pp. 56. Hominem adeo caecus impetus transversum egit, ut certissimas plagas cum infligere posset, leviores glossas arriperet omissas a Küstero vel mutilatas, nec fidem faceret honestae causae, quam probris foedissimis obscurat, etsi probabiles interdum emendationes attulit. Necdum exsatiatus stilum etiam saeviore in Küsterum strinxit felle tinctum, cum portentosum Herodotum a. 1716. emitteret; ubi virus iniquissimum et insulsa bile plenum evomit et adversarium foetoribus verborum obruit, Cantabrigienses accusans, qui suam ovem lupo commisissent. Sed hostem truculentum ultus est Küsterus, qui Herodotum male fabricatum in Bibliotheca Clerici et academica commentatione sic profligavit, ut facile perspicias quantum ille humanitate salibus ingenio praestiterit. Haec tamen hactenus de rixis maiorum nostrorum. Enimvero *hi motus animorum atque haec certamina tanta pulveris exigui iactu compressa**

*) Küsterus in Diatr. p. 6. primum gloriatur *se novem circiter vel decem millia locorum in Suida, partim ex MSS. partim ex ingento et collatione aliorum scriptorum feliciter restituisse, emendasse et illustrasse*, seque hoc nomine de scriptore suo praeclare meritum esse. Deinde caudicos vafros imitatus, quod Gronovius locos plures praetermissos exprobrabat, *κατορθώματα* sua p. 27. sq. sileri conqueritur et supplementa e MSS. petita, pondere numeroque istis omissiunculis longe superiora, quibus tam foedi hiatus expleantur, ut *vel unica* (inquit) *harum restitutionum omnes omissiones meas facile redimere possit. Nam et paucissima sunt quae de industria omisi, eademque frivola et levia* —, cuius generis quisquillas ab otiosis librariis Suidae additas fuisse, etiamsi MSS. meliores non testarentur, *res ipsa clamaret.* — Fateor quidem me ad ipsum Suidam hac de re lectorem non monuisse, sed per festinationem vel potius nimiam rerum, quae animum meum distrahebat, varietatem, et alia nonnulla quae in schedis meis ex MSS. notata habebam attentionem meam effugisse video. Tandem ille p. 30. *Omissiones meae praeter voces interpretatione carentes paucissimae sunt, puta viginti circiter numero vel summum triginta, ni fallor; ex quibus (duabus exceptis) nulla est quam infectam velim.* Pollicebatur etiam supplementa se publici iuris facturum una cum curis secundis. His adiungatur unus saltem Gronovii locus, ex quo cognosci potest, ad quem immanitatis gradum homo furiosus processerit: in Herod. p. 82. h. (ed. Wess.) *Vos, Menagiani manes, agitate illum turbatorem quietis Suidae, illum nugacem in tot sacris locis et vanissimum impiumque antistitem, furis meritis praecipitatis in istam voraginem, ubi aere gravi pressus anhelet.* Nempe Küsterus Diatribae suae disputationem de aere gravi sublecerat.

quiescent. Nam paucis ostendere licebit, quid Küsterus in Suida profecerit, quid peccet aut quid temporibus illis condonandum sit.

